This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 2044 106 332 547

FL
43
W38
S

HARVARD UNIVERSITY

LIBRARY

OF THE

GRAY HERBARIUM

Received 23 July, 1906.

D. GEORGII HENRICI WEBERI

PROFESSORIS KILONIENSIS

SPICILEGIVM FLORAE GOETTINGENSIS

PLANTAS INPRIMIS CRYPTOGAMICAS HERCYNIAE ILLVSTRANS.

CVM ICONIBVS ÆRE INCISIS.

GOTHAE,

SVMPTIBVS ETTINGERI. 1778.

Herbarium.

Nemini me mancipaui. Nullius nomen fero. Multum magnorum virorum iudicio credo, aliquid tamen et meo vindico.

SENECA.

REGIO ATQVE CELSISSIMO

PRINCIPI ET DOMINO

DOMINO FRIDERICO

REGIO PRINCIPI HEREDITARIO REGNORVM DANIAE, NORWEGIAE, VANDALORVM ET GOTHORVM, DVCI SLESWICI, HOLSATIAE, STORMARIAE ET DITHMARSIAE, COMITI OLDENBVRGI ET DELMENHORSTI, REL.

PRINCIPI ET DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

SPICILEGIVM HOC

D. D. D.

NOMINI, VIRTVTIQVE EIVS

SVBIECTISSIMVS DEVOTISSIMVS-
QVE CVLTOR

GEORGIVS HENRICVS WEBER.

Regie atque Celsiſſime Princeps, Domine Clementiſſime.

Non eſt leuis, neque ebullientis animi audax proruptio, ſi hoc qualecunque Opuſculum TIBI CELSISSIME REGIE PRINCEPS *dedicatum ſubmiſſe ad pedes ponere conſilium cepi. Satis diu dulce* FRIDERICI *nomen ſuauiter mihi ſonuerat, vereque regiam Regii Principis mentem cum omnibus omnium Daniae Prouinciarum incolis admiratus eram, atque ſubmiſſe veneratus. Tanta vero nunc animum* TIBI *deuotiſſimum meum ſignificandi,*

ficandi, TEQVE Spicilegii *huius Tutatorem nuncupandi cupiditas me occupauit, vt ſermonem reprimere, tametſi pudor naturalis, ingenuaque timiditas obſtabat, vix ac ne vix quidem a me impetrare potuerim. Quid enim? Libellum in publicum prodire contingit, poſtquam ex patria academia* Georgia - Auguſta *ad* Chriſtianam *clementiſſime vocatus, remeaui, quam vero, Indigenatu cum Parentibus dignatus, etiam patriam putare animus dictitat. Numne igitur eidem illi* CELSISSIMO *ſcientiarum et artium quarumuis, inprimis Hiſtoriae naturalis, Promotori Botanices aliquod ſpecimen dicatum ſubmiſſe offerrem, cuius indulgentiſſimis auſpiciis Kilonienſis Academia tam laete efflоruit, et in dies magis magisque efflореſcet? Accedit,*

quod

quod in opuſculo illarum plantarum aliquam partem recenſuerim, quas aliquot annis ante in diuerſis Cimbriae regionibus ideo per triennium ſtudioſe legeram, quod aliquando Floram Cimbriae *ſcribere apud animum meum conſtitutum erat, quam tamen Goettingam me conferens, neque, vt in votis erat, complere, neque ad perpoliendam hanc vltimam illi manum imponere poteram. Nunc vero, redux, nihil magis in votis habeo, quam vt* TVVM CELSISSIME REGIE PRINCEPS, *fauens numen accenſum meum bene merendi ſtudium magis magisque inflammet, atque confirmet, quo cepta, capiendaque mea optatam curſu metam contingant. Atque hoc quidem deuote ſignificaſſe, ſupplicibus verbis oraſſe, tantum abeſt, vt temeritatis, vt potius*

officii mei esse reputauerim. Vale CELSISSIME REGIE PRINCEPS! *Omnibus bonorum generibus abundans, quam longissime vale! nec minori, quam adhuc, cum gloria et prosperitate salutem vniuersae reipublicae, singulorum ciuium, litterarum, litteratorum, mei etiam, quam diutissime tuere, atque adauge.* Dabam Kiloniae Die secunda Maii MDCCLXXVIII.

PRAE-

PRAELOQVIVM.

Tam insigni copia plantarum dives superbit ager et regio Goettingam ambiens, vt post virorum clarissimorum HALLERI, ZINNII, MVRAYI, WEISII eximias in his colligendis conquirendisque curas, multas supereſſe deprehendi, quae acerrimis illorum oculis se subduxerant. Has, tantorum virorum vestigia non vna vice premens, detegere, detectas in hoc spicilegio curatius describere, descriptas cum publico communicare, simulque locos

natales quaerentibus indicare volui. Licet enim terminos huius Florae ab illis positos proferre non opus fuerit, tamen insignem copiam plantarum his in terris nondum repertarum Hercynia, prata, scopuli et arenosa loca circa arcem Regenstein, ager Blanckenburgum cingens, ericetum Zellense et Sollingenses syluae curiosius mihi inquirenti, accepto dederunt muneri, atque adeo grato, vt voluptate ex eo percepta itinera botanica iterum iterumque instituta mox ob tempestates, mox ob inuias vias molesta, subinde a periculo non omnino vacua largiter compensauisse mihi videantur.

In hoc plantarum detectarum recensu semper ad scripta Florae Goettingensis recentissima oculos retorsi, quo, quae addenda restabant, suppleam. Quodsi subinde

inde illarum mentionem facio, quas illa iamiam descripserant, hoc ideo factum esse scias, quod plura harum loca natalia, vrbi inprimis poprius sita indicare, notasque earundem characteristicas ex curatiori examine elicitas addere e re esse putaui. Nondum ab illis in scenam productas Asteriſco notaui, sicuti tam illarum, quas LINNAEVS non recensuit, quam quarum alio ordine et loco mentionem facere voluit, indicem subnexi.

Perfectiorum plantarum recensionem breuem heic facere, rarioribus ex his quasdam tantum obseruationes adiicere, notas diagnosticas, synonyma et alia, quae earundem plenior et integra magis tractatio sibi poscit, negligere ideo volui, quod de illis fere omnibus in *Flora Cimbriae*, quam inde ab aliquot annis

in

in manu habui, ita vt vltimam modo, nisi impediar, sine cunctatione admouendam, exspectet, plura dicendi opportuna se mihi offeret occasio.

De Muscis autem enodatius agere apud animum erat constitutum; non ideo solum, quod harum doctrina adhucdum multis difficultatibus laborare deprehendi; sed et quod *celeb.* WEISSII *Plantas cryptogamicas* supplere inprimis volui. Ideo hoc in libello meo potissimum muscos illos Hercyniae, quos modo nominatus amicus meus in suo omiserat, descripsi; ita vt Botanophilis, qui saepius ad colligendas plantas has montes adscendant, indicis loco esse possit scriptio mea. Insigni muscorum numero ditati hilares redibunt ex syluis Braunlage inter et Schierka sitis, e turfosis locis, ex scopulis Bructeri et Goslariae,

lariae, modo neque ob pluuias ſerique autumni frigus a colligendis illis retrahi ſe patiantur, neque in montes haud raro difficilioris concenſionis adſcendere, neque in ſpeluncas et cauernas adſpectu horridas deſcendere extimeſcant. Natura enim theſauros ſuos occultat, indefeſſi laboris praemia.

In Algarum charactere generico figendo me parum, multum autem in Muſcorum genericis ſignis diagnoſticis finiendis ab aliis receſſiſſe deprehendes. Noli autem putare, nouaturiendi pruritu titillatum me hoc egiſſe, quod ideo feci, quo loco mobilium a vero deducentium generis definitionum fixas tradere, atque hoc ipſo planam magis et apertam ad dignoſcendas plantas cryptogamicas viam, alias adhucdum ſatis infeſtam, tyronibus monſtrare

ſtrare valeam. Dici enim vix ac ne vix quidem poteſt, quantum impedimenti et detrimenti initio redundet ad huius ſcientiae addiſcendae cupidos, ſi quidem ſpecies ſub generibus iuxta doctrinam auctoris quaerere coguntur, ſub quibus iuxta perhibitas definitiones complecti non poterant. Hanc ob rem de quolibet muſcorum genere breuem, fixum et definitum characterem ſtruere, et iuxta huius normam ſpecies recenſere allaboraui. Non ideo adeo mirum eſt, ſiquidem haud raro ſpeciem ad longe aliud genus a me, quam ab aliis, inprimis a LINNAEO, relatam eſſe animaduertitur, quippe quod ad euitandos errores neceſſarium erat, veritatisque ſtudium ſeuere mihi iniungebat.

Inprimis autem in *Mnii* genus, quod proſcripſi, locoque nomineque ſuo priuaui,

vaui, iniurium me fuisse putabunt nonnulli. Verum enim vero sicuti genus speciebus orbum nullum, ita certum est, easdem illas, quas *Mniis* vindicare voluerunt, sub *Polytrichis*, *Bryis*, *Hypnisque* potius locandas esse. Quem enim his muscis adscribere voluerunt sexum foemineum distinctum, certo certius fictus est. Gemmas gemmarumque colluuiem et sexus sequioris indicem esse, et ad constituendum a caeteris muscis distinctum genus sufficere putarunt, quum tamen haec neque in *Mniis* constanter obseruentur, neque alias longe diuersorum generum species his conspicuas ad *Muiorum* genus retulerint, et si, vti LINNAEVS, quasdam *Iungermannias* flore quadrifido a muscis capsuliferis adeo diuersas huc trahere voluerunt, omnino errauerint.

Num

Num vero hoc aliud eſt, quam ex fallaci diuiſionis fundamento calculos ſuos ſubducere? Neque *Bryi* genus, ad quod plurimae ſpecies, quas *Mniis* ſubiicere voluerunt auctores, a me translatae ſunt, iſtis iuſto magis oneratur, ſed occupant potius loca, quae ob manifeſtum perichaetium huic ereptae *Hypnisque* reddidae ſpecies vacua reliquerunt.

Quod ad ſpecies Muſcorum attinet; in recenſendis illis vbiuis praecipuam ſynonymiam, atque deſcriptiones explicatas, aut in loco natali ipſo ſaepius recognitas, aut iuxta copioſa ſpecimina ſicca et aqua irrorata factas addidi, atque exemplari *Illuſtris* SCOPOLI, de ſcientia naturali quam maxime meriti, ad incitandum mihi propoſito, incitatus ſub diagnoſeos nomine ſpecialem cuiusuis ſpeciei notam in

ideam

ideam collegi. Similes diagnoſes, ſyno-
nymicas quasdam voces et deſcriptiones
etiam bene multis ſpeciebus adieci, quas
Celeb. WEISSII *Flora cryptogamica* recenſuit.
Ad has diagnoſes conſtruendas omnis nota,
ſit tantummodo certa, ſatisque diſtincta,
ſiue ex habitu, ſiue ex colore, ſiue ex
partibus fructificationis ipſis petita, mihi
ſuffecit. Nec quare in plantis minimis,
in quibus characteres ſaepius adeo diffi-
cile extricantur, et haec quoque in ſub-
ſidium vocabis. Quare color ſetae con-
ſtantiſſimus in BRYO *extinctorio*, quare ha-
bitus ſetae equinae in LICHENE *hippotrichoi-*
de tibi non erit character? Sed haec non
niſi poſt iteratas obſeruationes, nec in
plantis perfectioribus addi characteribus
debere, quam maxime admoniti ſint
Botanici.

Icones raliquot ariorum Lichenu aere inciſas, et ad viuum delineatas picta que, tractationi ſubnectere et vtile et i cundum fore iudicaui.

Ne alienis plumis ſuperbire videa ſemper, quae ab amicis communicat erant, ſincere indicaui, quibus hic pu blice, SCHNECKERO et SALZWEDELIO inpri mis gratum animum declaro. Prae alii vero nominandus mihi eſt Cel. WEISSIVS, quippe qui apparatus Muſcorum proprii herbarique b. WILLICHII, cuius nunc poſ ſeſſor eſt, vti manuſcriptorum beati viri vſum ingenue ac liberaliter mihi con ceſſit.

Praemonendorum duo adhuc reſtant. Alterum eſt, quod longe antequam *Illuſtr.*

KOEL-

PELREVTERI de cryptogamicarum plantarum natura docte vt solet instruentis tractatus ad manus meas peruenisset, hoc spicilegium prelo subiectum fuerit, quippe qui ab anno 1776 nullam amplius manum admoui. Sicuti igitur huius mentionem facere non potui, ita, quae intuitu observationum Viri celeberrimi, quem veneror, videri mihi videor alio loco declarabo. Iterum denique hoc sit. Apud animum constitutum erat meum, huic spicilegio iterum de Fungis agri et regionis Goettingensis addere, quoniam et hos scriptores Florae Goettingensis intactos reliquerunt, et doctrina illorum maximis adhuc dum laborat difficultatibus. Tametsi vero permulta huc pertinentia studiosissime animam collegeram et in aduersariis notaueram, tamen, quod auocatus a Goet-

tinga, quae amplius conquirenda reſt
bant colligere, quae obſeruanda obſe
vare haud potui, ceptumque conſiliu
deſerere debui. *Dabam Kiloniae die ſex*
Aprilis MDCCLXXVIII.

Deſignatio ſtirpium in hoc Spicilegio deſcriptarum, quarum LINNAEVS nullam in ſuis ſcriptis fecit mentionem.

	Pag.	Num.
BRYVM *tenue*	107	175
BVXBAVMIA *foliosa*	125	196
HYPNVM *hornum*	44	122
nitens	86	159
ſtellatum	85	158
trichomanoides	51	126
IVNGERMANNIA *pulcherrima*	150	214
ſetacea?	155	219
LICHEN *aculeatus*	207	259
candidus	193	249
cinereo-fuſcus	188	244
confluens?	180	229
cruentus	184	238
diffuſus?	250	278
elueloides	185	243
eroſus	259	284
fallax	244	275
fluuiatilis	265	287
fungiformis	196	252
hippotrichoides	231	266
immerſus	188	245

LICHEN *Lactuca*	Pag. 252	Num. 280
lentigerus	192	248
muſcorum	183	231
Oederi	182	230
Pezizoides	200	255
pulus	249	277
puluerulentus	246	276
radiciformis	232	267
rupeſtris	190	247
tenellus	269	235
tinctorius	241	273
triſtis	209	260
verrucoſus	273	292
MARCHANTIA *quadrata*	164	228
triandra	163	227
PHASCVM *ſerratum*	124	193
SPHAERIA *maxima*	286	301
nitida	281	297
TREMELLA *meſenteriformis*	278	295

Plantarum enumeratio, quae locum, quem in ſcriptis LINNAEANIS tenent, in Spicilegio mutarunt.

BRYVM *aciculare* LINN.	HYPNVM *aciculare.*
apocarpum α	FONTINALIS *apocarpa.*
β	*albicans.*
glaucum	HYPNVM *glaucum.*
heteromallum	*heteromalium.*
Hypnoides	*caneſcens.*
rurale	*rurale.*
ſcoparium	*ſcoparium.*
ſtriatum	POLYTRICHVM *Bryoides.*
tortuoſum	HYPNVM *tortuoſum.*
trichodes	*trichoides.*
viridulum	BRYVM *paludoſum, viridulum.*
CAREX *veſicaria* β	CAREX *ſylvatica.*
CLAVARIA *digitata*	SPHAERIA *clauata.*
Hypoxylon	*digitata.*
CONFERVA *fluuiatilis*	CHARA *ſertularioides.*
FESTVCA *decumbens*	MELICA *decumbens.*
HYPNVM *filifolium*	HYPNVM *myoſuroides, filiforme.*
loreum	*ſquamoſum, loreum.*
rugoſum	*ſcorpioides, minus.*
LICHEN *cocciferus*	LICHENIS *ſquamoſi var.*
chalybeiformis	*iubatus, chalybeiformis.*
carnucopioides	— — —
cornutus	— — —

LI-

LICHEN *deformis* LINN.	LICHENIS *ſquamoſi var.*
digitatus	— —
fimbriatus	— —
globiferus	*fragilis, globiferus.*
gracilis	*ſquamoſi var.*
lanatus	*pubeſcens, maior.*
pertuſus	SPHAERIA *pertuſa.*
pyxidatus	LICHENIS *ſquamoſi var.*
LYCOPERDON *ſepium*	SPHAERIA *Licoperdioides.*
MNIVM *androgynum*	BRYVM *androgynum.*
fiſſum	IVNGERMANNIA *bidentata, ſphaerocephala.*
fontanum	BRYVM *fontanum.*
hornum	*hornum.*
hygrometricum	*hygrometricum.*
lungermannia	IVNGERMANNIA *cochleariformis.*
paluſtre	BRYVM *paluſtre.*
pellucidum	*diaphanum.*
purpureum	*purpureum.*
pyriforme	*aureum.*
ſerpillif. cuſpid.	*cuſpidatum.*
proliferum	*roſeum.*
punctatum	*punctatum.*
undulatum	*dendroides.*
Trichomanis	IVNGERMANNIA *Trichomanis*
MVCOR *Lichenoides*	LICHEN *Sphaerocephalus* β
Sphaerocephalus	— — — α
PHASCVM *acaul.* α	PHASCVM *cuſpidatum.*
— β	*muticum.*
TREMELLA *purpurea*	SPHAERIA *Tremelloides.*
VENA *pruniformis*	TREMELLA *pruniformis.*

Claſſ. I.

MONANDRIA

MONOGYNIA.

* 1. SALICORNIA *herbacea*,

Prouenit prope Salzderhelden.

Claſſ. II.

DIANDRIA

MONOGYNIA.

* 2. PINGVICVLA *vulgaris*,

Abundat in pratis prope Goslar.

* 3. PINGVICVLA *alpina*,

Rarior in M. Bructeri, locis ſiccioribus verſus Wernigerode.

* 4. VIRICVLARIA *minor*,

Lecta mihi in foſſis torfoſis prope Zelle. In foſſis prope Bouenden, ad ſiniſtra viae verſus die Lieth Dn. HENZEN reperit.

OBS. Multa quoad characterem et habitum cum *Vtricularia vulgari* ſimilia habet, vt illam ſi noſcas, hanc non facile *Vtricularíae* ſpeciem dignoſcas. Attamen omnino diuerſa eſt, nec va-

rietas, vti nonnulli volunt. Tota planta tenella, nec vti *vulgaris* liuida. Radicis fibrae rotundatae. Folia a radice distincta, (quod vix in *vulgari*) compressa, dupliciter tripinnata, laciniis bifidis. Vtriculi nitidi, aetate rufescentes (in *vulgari* virescentes aetate nigricantes) Calycis lacinia vtraque rotundato-ouata. (In *vulgari* superior ouata, acuta, ad basin puncto lutescente notata, inferior rotundata, obtusa, emarginata.) Corolla flaua; Labium superius sexangulare, planum, labio inferiori dimidio breuius; Labium inferius rhomboideum, eleuatione deltoidea notatum. (In *vulgari* corolla lutea; Labium superius rhomboideum, eleuatione deltoidea insigni, quae in *minori* vix notabilis, ad basin sulcos formanti, in cauitate nectarii, lineis purpureis quinis notatum; Labium inferius tridentatum, plicatum, gibbum, ad cauitatem nectarii pariter notatum lineis quinis, totam cauitatem replentibus, quod rarius in *minori* obseruaui, in parte anteriori aurantiacum venis purpureis). Nectarium breuissimum obtusum.

Class. III.

TRIANDRIA

MONOGYNIA.

* 5. IRIS *sibirica*,

Copiosa in M. Weisner locis vliginosis inter frutices; et in vdis prope Wizenhausen.

* 6. ERIOPHORVM *alpinum*,

Pauca

Pauca ſpecimina m. Maii 1773 in M. Bructero verſus Oderbrück legi, quod vero iteratis vicibus poſtea, ſed fruſtra quaeſiui. Planta caeterum culmo foliisque triquetris, et ſpica pauciflora facile diſtinguitur, etiamque in M. Moosberg a D. WEIS lecta eſt.

* 7. SCIRPVS *acicularis*,

Inter plantas in ſiluis Hercynicis lectas habeo.

* 8. SCIRPVS *ſetaceus*,

In ſalſis prope Harſte prouenit, vnele a Dn. BARCKHAVSEN habeo.

DIGYNIA.

* 9. AIRA *ſubſpicata*,

In gramineis circa arcem Regenſtein prope Blanckenburg.

* 10. AIRA *caneſcens*,

Inter ſegetes prope Wizenhauſen, in arenoſis prope arcem Regenſtein.

* 11. AIRA *praecox*,

In rupibus prope Waacke, copioſius prope Goslar.

* 12. AIRA *caryophyllea*,

Frequens in rupibus prope Waacke.

* 13. MELICA *caerulea*,

In torfoſis Herciniae non rara.

* 14. MELICA *decumbens*,

Feſtuca (*decumbens*) panicula erecta, ſpiculis ſubouatis muticis, calyce floſculis maiore, culmo decumbente LINN. *Syſt. veg. p. 102. Sp. 12.*

Festuca locustis teretibus, muticis, octi floris, floseulis alternis imperfectis. HALL. *Hist. T. II. p. 213. n. 1434.*

Icon. OED. *Flor. Dan. T. 162.*

DIAGN. *Culmus decumbens. Panicula contracta. Petalum exterius margine pilosum.*

LOC. NAT. Prata et frutticeta sicciora amat. Vulgaris in syluis Hercynicis, in M. Weisner, et prope Waacke.

DESCR. Culmi ad omnem ambitum decumbentes. Vaginae pilosae. Folia iuniora carinata, inferiora pilosa. Panicula arcte contracta. Spiculae ouatae. Pedunculi vniflori et biflori. Calycis valuulae longitudinis totius spiculae, inaequales, membranaceo-nitidae, ouatae, acutae, carinatae, arcte glumis floralibus appressae, in medio virides, versus apicem ex purpureo caerulescentes. Flosculi 3 ad 6 Gluma exterior dura, tridentata, ad marginem pilosa; interior minor membranacea, in cuius cauo ad basin reperitur corpusculum stigmate simile, in apice spiculae ad perfectiorem flosculum magis accedens.

OBS. Spiculae ouatae, et flosculi imperfecti perfectis mixti a *Festuca* diuellere et cum *Melica* iungere hoc gramen iubent.

Icon. Ill. OEDERI culmum a caeteris diuulsum, hinc quasi erectum exhibet.

* 15. CYNOSVRVS *caeruleas*,

Locis siccis apricis verno tempore copiosus v. c. in M. Heimberg.

* 16.

* 16. STIPA *pennata*,

Copioſiſſima in gramineis circa arcem Regenſtein.

* 17. ARVNDO *epigeios*,

Inter frutices circa Elliehauſen. Copioſior circa Blanckenburg.

* 18. ARVNDO *arenaria*,

Occurrit in arenoſis Zellenſibus, vnde habuit b. WILLICHIVS.

OBS. Culmus vlnaris aut paullo longior, glaberrimus laeuiter ſtriatus. Folia radicalia, ſaepius longitudine culmi, fortiter conuoluta, exterius laete viridia, laeuiſſime ſtriata, interius glauca, profunde ſtriata ſeu potius ſulcata. Calyx albeſcens. Floſculi compreſſi. Petalum alterum bifidum. Spica appreſſa, denſa.

* 19. ELYMVS *Europaeus*, LINN. *Syſt. Veg. p. 107. Sp. 9.*

Paſſim ad vias verſus praedium Schwoebber occurrit. *Salzwedel.*

Claſſ. IV.

TETRANDRIA

MONOGYNIA.

* 20. GLOBVLARIA *vulgaris*,

In rupibus ſyluarum Hercynicarum v. c. prope Neuhoff.

* 21. DIPSACVS *laciniatus*,

OBS. Fateor ſpecimina mea prope Wehnde lecta, intermedias quaſi plantas, inter *Dipſacum fullonum* et *laciniatum* ſiſtere, quae *Dipſacum laciniatum*, *fullonum* eſſe varietatem mihi demonſtrant.

* 22. SCABIOSA *ochroleuca*,

Lecta prope Duderſtadt.

23. GALLIVM *boreale*,

Copioſiſſimum in pratis M. Weisner.

* 24. PLANTAGO *maritima*,

Rarius in ſalſis prope Harſte prouenit.

OBS. Folia integra, aut breuiſſime denticulata. Spicae ſquamulae ouatae, obtuſiuſculae. Antherae flauae.

* 25. CENTVNCVLVS *minimus*,

Frequens eſt in agris prope molendinam die Maſchmühle.

26. TRAPA *natans*,

Hanc in foſſis circa Goettingam prouenire *b.* ZINN. perhibet, ſed et a me et ab aliis fruſtra quaeſita eſt. Caſſelis ſata in horto principis laete prouenit.

* 27. ALCHEMILLA *alpina* β. *hybrida* LINN.

In M. Weisner, non rara.

OBS. *Alchemillae vulgaris* omnino eſt varietas, *nec alpinae*, vti iam adnotauit perill. HALLERVS.

TETRA-

TETRAGYNIA.

* 28. SAGINA *erecta*,

In rupibus probe Münden.

Claſſ. V.

PENTANDRIA

MONOGYNIA.

29. ANCHVSA *officinalis*,

Vulgaris prope Blanckenburg.

* 30. POLEMONIVM *caeruleum*,

In pratis M. Weisner, b. BVETNERVS reperit.

31. CAMPANVLA *patuta*,

In ſiluis occurrit v. c. prope Reinhauſen et M. Weisner. Inter Geiſmar et Lüttjelengden Dn. BARCKHAVSEN legit.

* 32. SAMOLVS *Valerandi*,

In ſalſis prope Harſte primus detexit D. STROMEYER.

DESCR. Radix fibroſa. Caulis erectus, ſubſimplex, teres, glaber. Folia radicalia congeſta, ouata, attenuato-petiolata, integra, emarginato-acuminata, glaberima, foueolis in vtraque ſuperficie notata; caulina ouata, ſeſſilia, aut breuiter pedunculata, caeteris ſimilia. Pedunculi vniflori, in racemum congeſti, foliolis ſtipulaceis, paruis, ouato-acutis donati. Calycis laciniae triangulares.

Stamina ad stigma incurua, laciniis corollae opposita. Capsula circümscissa.

* 33. SOLANVM *nigrum γ. villosum.*

Ad sepes prope Wernigerode.

* 34. THESIVM *alpinum,*

Habitat in M. Altenstolberg. D. Weiss.

* 35. LYSIMACHIA *thyrsiflora,*

Rariorem reperi in paludosis torfosis inter Langenhagen et Zelle.

DESCR. Radix fibrosa. Caulis erectus, simplex, inferne purpurascens, teres, foliis destitutus, sed loco foliorum squamis emarcidis, cauli tenaciter appressis donatus; superne secundum situm foliorum alternatim compressus, sulcatus, vt obscure quandrangularis adpareat, tormento adspersus. Folia lanceolata, sessilia, subobtusa, nunc integra, nunc sinuato-angulata, subtus tomentosa, alternatim opposita, superne conferta. Flores racemosi. Racemus ouatus, densus, ex alis foliorum. Pedunculi longitudine racemi, villosi. Bractea cuilibet flori subiecta lanceolata, calycem fere aequans. Calyx profunde incisus, numero laciniarum admodum varians, plerumque sexpartitus, nunc vero quinque nunc septem partitus, laciniis lanceolatis, bracteae florali similibus. Corolla profunde incisa, varians laciniis 5-8, in qua vero si accuratius examinetur inter quamlibet laciniam, adhuc inuenitur lacinia alia breuissima, vt ergo corolla reuera 10-16 fida sit. Laciniae maiores acutae, calyce triplo longiores. Color flauus. Stamina 5 aut 6 corolla longiora. Fila-

menta

menta flaua, corollae distincto annulo membranaceo flauo inserta. Antherae fuluae. Pistillum, corolla adhuc clausa, longe ex illa prominens. Germen rotundatum, purpureum, striatum lineis viridibus valuulas distinguentibus.

OBS. Perill. HALLERVS (*Hist. Tom. I. p. 279. n. 631.*) caulem ramosum dixit ego et his in regionibus et in Holsaticis semper simplicem vidi.

36. VINCA *minor*,

Serpit inter frutices ad molam chartaceam Wehndensem.

OBS. Nectarium glandulosum, germen angens, vt in *conuoluulis*.

DIGYNIA.

* 37. GENTIANA *campestris*,

Gentiana corollis quadrifidis, fauce barbatis. LINN. *Syst. veg. p. 223. sp. 23.*

DIAGN. *Calycis lacinide duae caeteris multo maiores.*

LOC. NAT. Habitat in pratis syluosis. Abundat inter Rübeland et Hüttenrode. In pratis prope Elbingerode D. WEIS reperit.

DESCR. Caulis erectus, semper fere pupurascens, ramosus, angulatus, sulcis lateralibus. Folia radicalia petiolata, caulina sessilia, subamplexicaulia, decurrentia, (vnde caulis sulci laterales oriuntur) alterne opposita. Omnia ouata, acutiuscula, neruosa, margine subintegro, per lentem subtilissime denticulato. Pedunculi axilla-

res, longi, nudi, quasi verticillati. Calix quadripartitus, vltra medium incisus; Laciniae binae maiores, foliis, fere similes, rhomboidales, acutae, per lentem denticulatae; binae lineari-lanceolatae, argute serratae, breuiores, a maioribus compressis fere obuolutae. Corolla hypocrateriformis, quadrifida, incisa fere vsque ad apices laciniarum calycis; Laciniae paene triangulares; Faux barbata squamulis quatuor ciliatis, vnicuique laciniae corollae adnatis. Quoties etiam plantam examinauerim, semper reperi stamina quatuor nec vnquam quinque. Germen oblongum, teres.

OBS. Cum *Gentiana Amarella* olim iunxerunt HALLERVS et LINNAEVS, et adhuc a nonnullis iungitur. Sed ab ista, omnino praeter alias laeuiusculas notat, calyce maxime differt. Laciniarum corollae et calycis numerus quinarius quidem non sufficit, nam in *Gentiana campestri* etiam corollam quinquefidam perill. HALLERVS et calycem quinquefidum Ill. OEDERVS (Icon. *Flor. Dan. T. 367*) obseruarunt. In *Gentiana Amarella* autem laciniae calycis aequales, in *campestri* sub quolibet numero, duae semper maiores sunt. Ex vtraque tres constituere species, vti *b.* WILLICHIO (*Nou. Act. Nat. cur. T. IV p. 111 n. 20*) placuit, ex quibus *prima* sit corollae et calycis segmentis aequalibus quinquefidis; *altera* corollae et calycis segmentis, aequalibus quadrifidis; et *tertia* corollae et calycis segmentis inaequalibus quadrifidis; mihi equidem consilii esse haud videtur. *Prima* enim et *altera* vix ne quidem varietate differunt, quum in vna eademque planta saepius reperiantur. In *campestri b.* WILLICHIVS pedunculos foliis plerumque duplo longiores obseruavit,

vit, qui in *Amarella* foliis fere aequales fuere. In *campestri* colorem etiam in siccis caeruleum, in *Amarella* obsolete purpureum. Quod vero de nostris plantis non valet.

Vtriusque plantae synonyma, imprimis veterum maxime dubia sunt. Gentiana faucibus barbatis, calycis foliis quaternis, alterne maioribus. HALL. *Hist. T. I p. 289 n. 650* certissime ad *campestrem*, nec ad *Amarellam*, Gentiana, vero faucibus barbatis, calycis segmentis quinis, aequalibus. HALL. *Hist. T. I p. 289 n. 651* ad *Amarellam* pertinet. Ex BAVHINIANIS ego ad *campestrem* referrem Gentianam autumnalem ramosam C. BAVH. *Pin. p. 188* et Gentianam annuam Clusii I flore ex caeruleo purpureo J. BAVH. *Hist. T. III p. 526.*

* 38 SELINVM *caruifolia*,

Rarius in M. Weisner reperi. (copiosissimum prope Cassel.)

OBS. Inuolucro vniuersali nullo aut vnifolio facile dignoscitur. Pinnulae mucrone terminatae, in meis magis confertae sunt ac in icone HALLERI (*Hist. T. I Tab. 20*). Etiam mihi est specimen, foliis quadruplicato pinnatis.

Class. VI.

HEXANDRIA

MONOGYNIA.

* 39 ANTHERICVM *ossifragum*.

Reperi non rarum inter Langenhagen et Zelle.

DESCR.

DESCR. Radix repens, arundinacea. Folia enſiformia, arcte complicata, radicalia incurua, neruoſa, acuta; caulina alterna, amplexicaulia, margine membranacea. Scopus ſimplex, erectus, teres, ad alterum latus paululum eleuatus, glaber, in ſpica flexuoſus. Flores in ſpicam congeſti, alterni, bractea lanceolata, longitudinis pedunculi, ſuffulti. Alia bractea linearis in medio pedvnculi. Petala lanceolato-linearia, lutea. Filamenta in directione petalorum lutea, villoſa lanugine alba, ad apices glabra, perſiſtentia. Antherae aurantiacae. Capſulae cauli arcte adpreſſae, vt ſpica cylindrica exinde euadat, corolla perſiſtente circumuolutae, ex triangulari cylindricae, ſexſulcatae, ſulcis alternis minoribus, ſubulatae, triloculares.

* JVNCVS *niueus*,

In ſyluis vbique v. c. prope Kerſtlingeroderfeld, Waacke.

TRIGYNIA.

* 40 SCHEVCHZERIA *paluſtris*,

Vnicum ſpecimen cum capſulis in torfoſis ſyluarum Hercynicarum prope Borkenkrug, olim das Communion Torf-Haus.

POLYGYNIA.

* 42 ALISMA *Ranunculoides*,

In ericetis torfoſis prope Zelle, ad ſiniſtram viae inter Langenhagen et Zelle, vbi via tendit ad pagum Wizendorf ſatis copioſa.

DESCR. Caulis erectus, teres, ſtriatus, nudus. Petioli foliorum radicalium, longitudine caulem aequan-

aequantes. Folia lanceolata, acuta, carinato-concaua, glabra. Flores in vmbellam congesti, rarius verticillati. Calycis laciniae rotundato-concauae, diaphanae, striatae. Inuolucrum vniuersale membranaceum, tripartitum, striatum, segmentis rotundato-triangularibus. Semina conglomerata 5 sulcis notata. Caueas ne varietatem angustifoliam *Alismae Plantaginis* cum hac confundas.

Class. X.

DECANDRIA

MONOGYNIA.

* 43 LEDVM *palustre*,

In paludosis Bructeri versus Oderbrück cum *Andromeda poliifolia*.

DIGYNIA.

* 44 CHRYSOSPLENIVM *oppositifolium*.

In paludosis syluarum Hercynicarum frequens v. c. inter Lauterberg et Braunlage, prope Andreasberg.

* 45 SAXIFRAGA *Hirculus*.

Ex Hercynicis syluis attuli, locus in memoriam non redit, sequentia tamen ad notaui.

DESCR. Caulis erectus, teres, superne praecipue ciliatus, vniflorus aut biflorus. Stolones reptantes. Folia alterna, sessilia, ouato-oblonga, margine et praecipue ad insertionem ciliata, nonnulla margine rariter denticulata; inferiora petiolata,

lata, ouata. Flores ante effloreſcentiam nutantes. Calycis laciniae ouatae, obtuſae, ciliatae, aetate reflexae. Petala cum laciniis calycis alternantia, ouata, et ouato-lanceolata, obtuſa, flaua, vsque ad medium punctis aurantiacis notata (quae tamen interdum deficere, in Holſatia obſeruaui) ad baſin duobus prominentiis donata. Germen oblongum. Stigmata in adultioribus reuoluta.

OBS. Folia numquam ciliata habere perill. HALLERVS contendit, ita etiam in eius icone (*Hiſt. T. II*) expreſſa ſunt, et ita etiam perill. LINNAEVS. In meis ſpeciminibus, ſaltim in iunioribus ſemper folia ciliata vidi. Icon OEDERI (*T. 200*) pariter folia ciliata habet. Folia igitur ciliata *Gentianae autumnalis* non ſufficiunt ad illam ab hac diſtinguendam.

TRIGYNIA.

* 46 GYPSOPHILA *Saxifraga.*

Conf. LINN. *Syſt. veg. p. 347 Sp. 12.*

In collibus verſus die Maſchmühle non rara.

PENTAGYNIA.

48 AGROSTEMMA *Githago.*

Huius varietatem memorabilem, (quum color qui *Githagini* eſt vix in regno vegetabili in luteum mutetur) *flore luteo* inter ſegetes propre Wehnde aeſtate 1767 legit J. W. HAMBERGERVS amiciſſimus, qui tunc communicauit. Poſtea fruſtra illam quaeſiui.

* 49 SPERGVLA *pentandra,*

Alſine (*marginata*) foliis verticillatis, ſemini-

seminibus marginatis. SCHREB. *Spicil. p. 31. n. 947.*

Abundat circa arcem Regenstein, verno tempore.

OBS. A *Spergula aruensi* vix differt nisi seminibus marginatis et tempore florendi. Saepius enim staminibus decem, illisque vertilibus gaudet.

Class. XII.

ICOSANDRIA POLYGYNIA.

* 50 ROSA *rubiginosa.*

OBS. Non confundenda cum *Rosa eglanteria* LINN. quarum foliis pariter odoratis conuenit, differt praeter alias notas floribus rubicundis in *eglanteria* LINN. lutеis. *Eglanteriam* numquam in his regionibus sponte eam reperi, *rubiginosam* vero non raram circa Wehnde, in M. Heinberg versus Rohringen et alibi. Sed sermo mihi est de *Rosa eglanteria* LINNAEI.

* 51 POTENTILLA *alba*,

Copiosa circa arcem Regenstein.

Class.

Class. XIII.

POLYANDRIA

TRIGYNIA.

52. ACONITVM *Napellus*,

Inter frutices prati prope molendinam marmoream Blanckenburgenſem et in M. Weisner copioſum.

POLYGYNIA.

53 RANVNCVLVS *hederaceus*,

Frequens eſt in velis prope Seeburg et in aquoſis prope Reyhershauſen. In ipſa vrbe, bey den Brauplaz in locis vdis primum detexit D. WEIS, qui etiam copioſum legit prope Kerſtlingeröderfeld, in via que verſus Groſſenlengden.

DESCR. Radix et tenuibus fibrillulis, e caulis internodiis prodeuntibus, conſtans. Caulis teretiuſculus, leuiter ſtriatus, nitens, repens, aut ſi in aquis naſcitur in illarum ſuperficie natans. Folia longe petiolata, nitentia, tri et quinqueloba, cordata, obtuſa, integra. Pedunculi ſolitarii, vniflori, lateſales. Calycis laciniae rotundatae, aetate reflexae. Petala ouato-oblonga, integra, calyce duplo maiora, in noſtris regionibus ſemper alba. Nectarium luteſcens, ſucco plenum. Fructus nutantes. Stamina ex omnibus *Ranunculis* pauciſſima plerumque 8 interdum 10, hanc ſpeciem facile diſtinguunt.

Claſſ.

Classis XIV.

DYNAMIA.

GYMNOSPERMIA.

54 AIVGA *pyramidalis*,

Rarior in agris prope Wehnde, copiosissima in pratis prope Hessendreisch, et in rupibus prope Wernigerode.

Obs. Folia radicalia (in nostris plantis) obovata, crenata, etiam in medio incisa; caulina ouata, serrata, aut crenata, aut in medio incisa.

55 TEVCRIVM *Botrys*,

Abundat ad ripas fluuii prope Pöhle, in M. Weisner, in M. Hufe prope Einbeck.

* 56 MENTHA *crispa*,

Ad aquas prope Rübeland copiosissima, primum detecta a Dn. BARCKHAVSEN, quum socius mihi esset in itinere Hercynico ad finem Maii 1774 instituto.

57 STACHYS *alpina*,

In syluis ad sinistram villae Hessendreisch copiosa et praealta.

58 STACHYS *germanica*,

Frequens est ad vias prope Aelse. Lectam in M. Weisner pusillam admodum misit *Cl.* MÖNCH Pharmacopaeus Cassellanus.

59 ANTIRRHINVM *cymbalaria*,

Ad molendinam Bouendensem.

ANGIOSPERMIA.

60. OROBANCHE *maior*,

Ad muros arcis Regenstein abundat.

Class. XV.

TETRADYNAMIA

SILICVLOSA.

* 61. COCHLEARIA *Coronopus*,

Inter portam, quae versus Wehnde, et illam, quae versus Grohnde ducit, ad fossulas viae dextras. In agris viae inter die Dreckwarte et Reinshoff copiosam inuenit D. WEIS.

62. IBERIS *nudicaulis*,

In arenosis et rupibus circa arcem Regenstein frequens.

* 63. LVNARIA *annua*,

Occurrit ad rupes prope Rübeland cum *rediviua* D. WEIS. Posteriorem idem in M. Bramburg inter Adelipsen et Hardegsen admodum copiosam reperit.

SILIQVOSA.

64. CARDAMINE *hirsuta*,

Abundat in syluis prope Lauterberg et Andreasberg.

Descr. Caules ex vna radice copiosi, erecti, ramosi, sulcati, hirsuti. Folia pinnata; foliola pilis obsessa, dentata, obtusa, vtplurimum cum acumine, impari saepius semitrilobo. Radicalia angu-

angulata, ouata, aut rotundato-cordata, caulina media ouata, superiora lanceolota et linearia. Calycis foliola duo magis conuexa. Petala obouata, integra, alba, vena in plerisque tripartita notata. Vnguines longitudinem calycis aequantes. Stamina 6, binis breuioribus. Stigma integrum. Siliqua compressa, nitida.

Obs. Florem tetrandrum descripserunt HALLERVS in plantis Helueticis et LINNAEVS. Ego et in Hercynicis plantis, et in Holsaticis semper tetradynamum vidi. Sic et OEDERVS (*T. 118.*)

* 65. SISYMBRIVM LOESELII.

In muris vrbis Blanckenburg non rarum.

Class. XVI.

MONADELPHIA DECANDRIA.

* 66. GERANIVM *lucidum,*

In rupibus prope Elbingerode, non procul a spelunca quadam in rupibus istis obuia.

* GERANIVM *sanguineum,*

Copiosum inter frutices circa arcem Regenstein.

Claſſ. XVII.

DIADELPHIA

HEXANDRIA.

* 68. FVMARIA *Capnoides*,

In ipſa vrbe ad templum academiae.

Obſ. Diandram, multoties examinatam, ſemper vidi.

DECANDRIA.

* 69. VICIA *Lathyroides*,

Vulgarem reperi circa arcem Regenſtein.

* 70. LATHYRVS *paluſtris*,

Rarius occurrit ad lacum prope Denekerhauſen.

Obſ. Radix granuloſa. Caulis erectus, debilis, alatus. Folia pinnata, alterna, cirrho terminata. Foliola ſeſſilia, ouato-oblonga, acuta, neruoſa, oppoſita, plerumque ſena. Pedicelli ſuperne ſulcati, inferne quaſi triangulares. Stipulae duae, ad inſertionem cuiuslibet folii, cordato-lunulatae, figura ſeminis *Aceris*. Pedunculi axillares, longi, teretes, punctati, ad vnum latus ſpectantes. Flores aggregati, penduli.

* 71. TRIFOLIVM *hybridum*,

Non rarum circa Goettingam v. c. in M. Heimberg. Dn. BARCKHAVSEN.

* 72.

* 72. TRIFOLIVM *fragiferum*,

In pratis prope molendinam die Maſchmühle et prope Harſte.

* 73. MEDICAGO *polymorpha*, *rigidula*.

Abundat circa arcem Regenſtein.

Claſſ. XIX.

SYNGENESIA

POLYGAMIA *aequalis*.

* 74. SCORZONERA *graminifolia*.

Satis copioſa circa Goettingam, in collibus ſiccis v. c. prope Raſenmühle, in M. Heimberg.

Obſ. Non confundenda cum *Scorzonera laciniata*, quae locis ſiccis interdum folia integra habet, et humilior euadit.

* 75. LACTVCA *Scariola*.

In apricis circa arcem Pleſſe.

* 76. LEONTODON *hirtum*,

In M. Heimberg verſus Rohringen legi.

* 77. HIERACIVM *cymoſum*,

In muris ſuburbanis frequens eſt.

POLYGAMIA *ſuperflua*.

* 78. ARTEMISIA *campeſtris*,

In campis arenoſis et ad muros arcis Regenſtein vulgaris.

Obſ. Caules erecti, aut diffuſi et procumbentes, angulati, glabri. Folia alterna, pinnatifida, pinnulis linearibus, acutis, glabris; ſuperiora pinnata, tripartita et ſimplicia. Racemus ante efflorescentiam nutans, ex ſpiculis alternis compoſitus. Pedunculi alterni, multiflori, tomentoſi. Huius *varietatem* totam tomentoſam et incanam prope Lübeck legi.

POLYGAMIA *fruſtranea.*

* 79. CENTAVREA *montana*,

Nihil copioſius in pratis altioribus M. Weiſner. In ſyluis Sollingenſibus, imprimis circa Neuhaus. D. WEIS inuenit et circa Adelipſen Dn. HENZEN.

Obſ. In loco natali folia multo villoſiora ſunt, ac in hortis.

MONOGYNIA.

* 80. VIOLA *hirta*,

Frequens ad rupes circa Elbingerode.

81. VIOLA *paluſtris*,

Imprimis prouenit in vliginoſis circa Oderbrück, locis SPHAGNO abundantibus.

Obſ. Radix geniculata, reptans. Caulis nullus. Folia plerumque conuoluta, reniformia, crenata, glabra, longe petiolata, petiolo intus ſulcato. Scapus florigerus quadrangularis, in medio ſtipulis binis, oppoſitis, lanceolatis, rariter dentatis, donatus. Corolla inclinata, pallide caerulea. Petala 2 ſuperiora reflexa, lateralia linea purpu-

purpurea notata, et vltra lineam barbata, infimum cochleariforme, lineis 7-11 purpureis, ramosis. Calcar breue, ventricosum.

Class. XX.

GYNANDRIA

DIANDRIA.

* 82. ORCHIS *maculata*,

In syluosiis vdis v. c. prope Kerstlingerodersfeld, non confundenda cum *latifolia*, *maculata*.

* 83. SATYRIVM *viride*,

In pratis elatioribus M. Weisner, (vbi et *albidum* abundat) Copiosissimum ad sepes viae, quae ab vrbe Lüde versus Arminiusburg ducit, et passim in ipso monte Arminiusburg reperit *Cl. Salzwedel*.

* 84. SATYRIVM *Epipogium*,

Diuersi generis yti mihi cum b. GMELINO videtur plantam, lectam in M. Schellenberg copiosissimam, in via inter hunc montem et vicinum Bomberg, qua ad praedium Schwoebberianum itur, et rarius in M. Bomberg, parasiticam in radicibus *Fagorum*, locis vmbrosissimis et semper in summo montium cacumine, communicauit *Cl. Salzwedel*.

* 85. OPHRYS *spiralis*,

Copiosissima in planitie superiori M. Schederberg et in M. Weisner.

* 86. OPHRYS *cordata*,

Vulgaris in aſcenſu M. Bructeri verſus Schierke et prope Andreasberg.

87. OPHRYS *Monorchis*,

Ad vias M. Heimberg verſus Rohringen, non procul a prato iſto paludoſo.

88. OPHRYS *inſectifera*, *myodes*,

Summa copia in pratis prope Heſſendreiſch.

* 89. OPHRYS *inſectifera*, *arachnites*.

Iisdem locis ac prior pariter copioſa, ſed tardius florens. Diſtincta omnino ſpecies.

90. SERAPHIAS *rubra*,

In ſyluis ad ſiniſtram viae inter Heſſendreiſch et Waacke.

91. CYPRIPEDIVM *Calceolus*,

Non rara in ſyluoſis M. Hufe.

Claſſ. XXI.

MONOECIA DIANDRIA.

* 92. LEMNA *gibba*.

Lemnae minori vplurimum innaſcitur.

Obſ. Valde ſuſpicor, et hanc et *polyrhizam*, quam Dn. BARCKHAVSEN prope Goettingam reperit, *minoris* eſſe varietates.

Ego

Ego in omnibus *Lemnae* ſpeciebus obſeruo, radicularum (ſi reuera hoc nomen merentur) apices veris calyptris, imprimis vernali tempore, terminari. Calyptrae iſtae cylindricae ſunt, attenuatae, obtuſae, initio viridis, dein luteſcentis coloris. In *Lemna triſulca* praeſertim, etiam tuberculum ſat inſigne eſt, ex quo ſetae, aut ſi mavis radiculae prodeunt. An hae verae calyptrae ſunt, vti in muſcis, tegentes capſulam polliniferam? equidem detractis calyptris, non niſi ſetam obſcurioris coloris vidi. Sed in muſcis omnibus, capſulae ſub calyptra latentes, initio tam tenues ſunt, vt a ſetis vix diſtinguantur. Anne igitur capſulis gaudent *Lemnae*, ſicut muſci? — Quid vero ſentiendum erit de floribus illis, quos monoicos obſeruaſſe varii perhibent? Suntne flores iſti adeo exiles, vt nunc ſemper oculos, etiam armatos, fugiant? Florentne in noſtris regionibus plantulae iſtae? Sunt ſane multi Botanici, qui incaſſum eos quaeſiuere, nec ego vmquam tales detegere potui. Examinent vlterius alii, et indagent attento oculo *Lemnae* veras fructificationes. Fateor me admodum ſuſpicari, *Lemnas* inter plantas cryptogamicas. et quidem calyptratas locum mereri. Miror caeterum calyptras iſtas (aut quicquid eſt) a MICHELIO *(Nou. Gen. Tab. II. Lit. O. P. A.)* iamiam depictas, poſtea ab aliis auctoribus neglectas fuiſſe.

TRIANDRIA.

* 93. CAREX *remota*,

Vbique in ſyluis Hercinicis.

94. CAREX *arenaria*,

In arenosis circa arcem Regenstein.

95. CAREX *sylvatica*.

Carex spicis pendulis, masculâ erecta, filiformibus, pedunculo breuioribus, capsulis acutis distantibus. HVDS. *Flor. angl. p. 353. Sp. 22.*

Carex spicis femininis pendulis, rariis, praelongis; capsulis rostratis, bifidis. HALL. *Hist. T. II. p. 196. n. 1395.*

Gramen cyperoides syluaticum, tenuius spicatum SCHEVCHZ. *Agrost. p. 418.* TOVRN. *Inst. p. 530.* MORIS. *Hist. P. III. p. 243. f. 8. T. 12. f. 9.*

Caricis *vesicariae*. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1388. Spec. 36. rar.* β. NECK. *Del. p. 381. Sp. 10. a.*

Icon. OEDER *Dan. T. 404.*

DIAGN. Spica mascula erecta, triangularis, densa. Foemineae pendulae, laxae inferiores pedunculo multo breuiores. Capsulae glabrae.

LOC. NAT. Syluosa vda amat. Vbique fere occurrit et in syluis Goettingae propinquioribus et in Hercynicis.

Descr. Culmus erectus, triangularis, inter folia geniculatus. Folia glabra, retrorsum aspera, plana, alterna, superiora spicas superantia. Spicula mascula vnica, erecta, triangularis, densa. Glumae lanceolatae, membranaceo nitidae, linea viridi media, acuminatae. Spicae foemineae iuniores

niores erectae, adultiores inclinatae, inferiores longissime pedunculatae, minus distincte triangulares ac masculae, laxae, quatuor aut quinque. Glumae capsulam fere adaequantes, lanceolato-subulatae, ita vt aristatae nonnumquam videantur, interdum etiam innascuntur foemineis spiculis glumae masculae spiculae similes. Capsulae triangulares, collo longo biseto terminatae, glabrae nec striatae.

Obs. Carex *(patula)* culmo triquetro, spica mascula albicante, triquetra, femineis pedunculatis, pendulis, capsulis acutis, glabris. *Scop. Carn. t. p. 216. Sp. 13. Carn. 2. T. II. p. 226. n. 1160.* huc omnino pertinere ex data descriptione patet. Sed icon eius *Tab. 59.* minus accurata est, ac OEDERIANA.

TETRANDRIA.

96. BETVLA *nana*,

Operis fore praetium existimo, rarissimae plantae, quam florae nostrae ciuem esse negauit Ill. LINNAEVS, determinatum indicare locum natalem. Copiosissime vero nascitur, non quidem in BRVCTERO, sed in campo vliginoso, torfoso, maxima *Sphagni* copia repleto prope Borkenkrug, quod vocatur das Lerchenfeld, et ad sinistrum viae, quae ad pagum Braunlage ducit situm est, Diuersorii, quod Borkenkrug, olim das Communion Torfhaus, audit, hospes, nomine *Degen*, cui syluarum huius regionis cura mandata est, quaerentibus accuratiorem locum natalem indicare potest. Quoties ex aliis syluae Hercynicae incolis quaesiuerim, annon forte ipsis cognitus sit locus, quo *Betulae* quaedam

dam ſpecies humilis admodum, foliisque rotundis creſcèret, tunc ſemper monſtrarunt locum, vbi nihil praeter *Vaccinium viginoſum* reperi.

Obſ. Noſtrae plantae pedalem altitudinem vtplurimum vix attingunt, rarius ſuperant. Folia multo minora ſunt, ac in icone LINNAEANA.

SYNGENESIA.

97. BRYONIA *alba*,

Ad ſepes prope Harſte.

Obſ. Noſtris regionibus ſemper baccis nigris, in Holſaticis baccis rubris vidi.

Claſſ. XXII.

DIOECIA

DIANDRIA.

* 98. SALIX *pentandra*,

Non rara v. c. in ſyluoſis prope Kerſtlingerode-rfeld.

Obſ. Huius varietatem, ſtaminibus in omnibus floribus quaternis legi.

* 99 SALIX *viminalis*,

Ad aquas prope Rohringen et alibi copioſa.

* 100 SALIX *incubacea*,

Ex ſyluis Hercynicis natuli, locum non adnotaui.

Claſſ.

Classſ. XXIII.

POLYGAMIA
MONOECIA.

* 101 PARIETARIA *iudaica*,

Ad muros prope Obſeruatorium creſcit.

Classſ. XXIV.

CRYPTOGAMIA
FILICES.

102 OSMVNDA *Lunaria*,

Non rara in M. Heimberg, verſus iſtum locum, quo *Ophrys Monorchis* creſcit. Copioſiſſima circa arcem Regenſtein.

* 103. OSMVNDA *regalis*,

In ericetis torfoſis prope Langenhagen vulgaris

* 104. OSMVNDA *Struthiopteris*,

Copioſiſſima ad ripas fluuii prope Neuhoff, ad dextram viae inter Neuhoff et Lauterberg, dein vbique ad aquas inter Neuhoff et Braunlage. Pariter frequens prope Andreasberg.

* 105. ASPLENIVM *ceterach*,

Vix credidiſſem in noſtris regionibus rariſſimam hanc plantam prouenire, niſi ipſe illam legiſſem. Sed omnino florae noſtrae ciuis eſt, quae in adſcenſu BRVCTERI verſus Schierke et in rupibus prope Rübeland prouenit. Etiam

ad

ad rupes prope Osterode prouenire ab aliis audiui.

CAVLIFOLIAE.

106. CHARA *botrachoſperma* WEISSII.

Minor huius varietas in fonte prope Raſemühle.

* 107. CHARA *Sertularioides*,

Conferua *(fluuiatilis)* filis ſimpliciſſimis ſetiformibus rectis, geniculis craſſioribus angulatis. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1635. Spec. 12. Syſt. veg. p. 818. Sp. 12.* CRANTZ. *Inſt. T. I. p. 90. Sp. 12.*

Conferua *(fluuiatilis)* ſetiformis, ſimpliciuſcula, articulata, erecta: nodis ſubangulatis. NECK. *Meth. p. 11. Sp. 20.*

Conferua fluuiatilis, lubrica, ſetoſa equiſeti facie DILL. *Hiſt. p. 39. T. 7. f. 47.*

LOC. NAT. Mea ſpecimina copioſa legi in fluuis die Bremcke inter Braunlage et Schierke, et in fluuio die Schluft inter Clausthal et Schuft, m. Maii.

Obſ. Ex fide *b. praeceptoris* BVETTNERI, qui cum *chara batrachoſperma*, ad idem genus pertinere me docuit, ad *charam* hanc plantam refero. Equidem in viuis plantis, obſeruationes inſtituere non potui, quum in itinere iſto, quo illas legi, microſcopio deſtitutus eſſem. Sicca tamen planta, etiam peculiare quid monſtrat, quod omnino a *Conferuis* alienum eſt. Recens viridis et lubrica

lubrica erat, ſiccam violaceam video, ſimilem quodammodo *Sertulariis*. Subſtantia pellucida, et habitus, quem in multis ſiccis ſpeciminibus obſeruo *chara flexili* LINN. omnino ſimiles, eo magis ſuadet credere, hanc plantam ad *charae* genus pertinere.

* 108. EQVISETVM *ſyluaticum*,

In omnibus ſyluis Hercynicis copioſiſſimum.

* 109. EQVISETVM *paluſtre*,

In pratis paludoſis v. c. prope Harſte, Giebelhauſen.

* 110. EQVISETVM *limoſum*,

Prope molendinam chartaceam Wehndenſem frequens eſt.

Obſ. Tranſitus ex *Equiſetis* in *Lycopodia* manifeſtus mihi videtur.

MVSCI.

LYCOPODIVM.

Capſulae absque operculo et calyptra, compreſſae, aetate luteae, in valuulas diſſilientes, puluere ſulphuraceo repletae, in alis foliorum aut aliarum ſquamarum ſeſſiles.

Obſ. Generum multiplicationis cupidi, *Lycopodii* genus ſat bene in duo (haud vero in plura) diuidere poſſunt, *Selaginem* nempe *Lycopodium*, quorum prius capſulas in alis foliorum, alterum in ſpicis ſpeculiaribus gerat. Ob habitus vero et capſularum ſimilitudinem, vtrumque multo melius iungitur. ADANSONIVS prioris ſententiae addi-

addictus, barbarorum nominum fautor, et SELAGINI nomen MIRMAV impoſuit.

Lycopodioides ADANS. *Fam. p. 491.* ſiſtit Lycopodioides fruteſcens, ſpicis laxis nudis DILL. *Hiſt. p. 168. T. 64. f. 4.* (Lycopodium *nudum* LINN.) Et omnino haec planta, plane aliena mihi videtur ab aliis *Lycopodiis.* Caulis fruteſcens abludit ab omnibus muſcis, et omnium partium ſtructura diuerſa eſt a *Lycopodiis.* Radicum ſtructura in omnibus *Lycopodiis* eadem eſt, fibroſa nempe ſed ſtrictioris conſiſtentiae, albeſcens, dichotoma, glaberrima. In dicta planta lignoſa et hirſuta videtur. Porro capſulae nullis foliis nec ſquamis cinctae, triloculares, valuulis ſex diuerſiſſimae.

III. LYCOPODIVM *inundatum.*

Lycopodium foliis ſparſis, integerrimis; ſpicis terminalibus, foliaſis. LINN. *Spec. Plant. p. 1565. Sp. 8. Syſt. veg. p. 793. Sp. 8.* CRANZ *Inſt. T. I. p. 37. Sp. 8.* NECK. *Del. p. 438. Sp. 1.*

Lycopodium ſpicis ſeſſilibus; foliis linearibus, confertiſſimis, incuruis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 22. n. 1721.*

Lycopodium *(inundatum)* ſurculo reptante, ſparſo, terminali erecto, ſolitario, ſpiciformi. NECK. *Meth. p. 149. Sp. 7.*

Lycopodium paluſtre repens, claua ſingulari VAILL. *Bot. T. 16. f. 11.* DILL. *Hiſt. p. 452. T. 62. f. 7.*

Icon OEDER. *Dan. T. 376.*

DIAGN.

DIAGN. Surculi repentes, secundi; clauigeri vncia vix longiores, erecti, teretes. Folia linearia, densa, nullo pilo terminata. Spicae folioſae, a ſurculis vix diſtinctae, niſi quod paulo craſſiores. Capſulae compreſſae rotundatae, nec reniformes.

LOC. NAT. Ex ſyluis Hercynicis b. WILLICHIVS habuit, locum non adnotauit. (Ego plantam in pratis vdis prope Hamburg et aliis Holſatiae copioſiſſimam vidi.)

* 112. LYCOPODIVM *complanatum.*

Lycopodium foliis bifariis, connatis, ſuperficialibus ſolitariis; ſpicis geminis, pedunculatis. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1567. Sp. 16. Syſt. veg. p. 793. Sp. 16. Scop. Carn. I. p. 164. Sp. 3. Carn. 2. T. II. p. 303. n. 1281.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 38. Sp. 16.*

Lycopodium ſpicis petiolatis, quaternis; caulibus complanatis; foliis adpreſſis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 23. n. 1723.*

Lycopodium *(complanatum)* ſurculo erecto, continuato, compreſſo, terminalibus capituli-feris, dichotomo, ſpiciformibus. NECK. *Meth. p. 145. Sp. 1.*

Lycopodium digitatum, foliis arboris vitae; ſpicis bigemellis. DILL. *Hiſt. p. 448. T. 59. f. 3.*

Icon OEDER *Dan. T. 78.*

DIAGN. Surculi dichotomi, in inferiori pagina plani. Spicae pedunculatae, plerumque geminae.

LOC. NAT. Amat ſterilia, montoſa. Per omnes ſyluas Hercynicas non rarum. Occurrit v. c. inter Auerhahn et Clausthal, prope Zellerfeld, vbi via ducit ad Schulenberger-Hütte, in ſyluis prope Lauterberg. Imprimis vero copioſiſſimum reperitur in M. BRVCTERO, praeſertim verſus cacumen, et in ericetis ſterilibus M. Rammelsberg.

Deſcr. Radices (vti ſolent in *Lycopodiis*) albae, cartilagineae, dichotomae. In iunioribus confertim naſcuntur ſurculi erecti, in adultioribus autem, imprimis florentibus ſtolones emittunt, pariter ac *alpinum*. Ex his exſurgunt rami multoties et per breuia interualla dichotomi, qui ad exortum, vti ſtolones, teretes ſunt, et foliis emarcidis tantum hinc inde adſperſi, mox vero ſuperne conuexi, inferne plani euadunt, eminente tamen neruo folia in medio percurrente. In terminalibus vero dichotomiis, rami ſenſim ſenſimque teretem rurſus acquirunt faciem, ſed illi tantum, ex quibus in ſequenti anno aut noui rami, aut pedunculi ſpiciferi prodeunt, iuniores enim eiusdemque anni ramuli vsque ad extremitates inferne complanati ſunt. Folia laete viridia, in adultioribus luteſcentia, lanceolata, ſeta alba in adultioribus fuſca terminata, in quadruplicem ſeriem diſpoſita ſunt. Tres ſeries arcte imbricatae conuexam ſeriem ornant, quarta ex laxis conſtat foliis, neruo eminenti paginae planae adſperſis. Ramuli florigeri verſus extremitates paululum incraſſati ſunt, teretes facti et vndique imbricati. Ex ramorum lateralium apicibus prodeunt pedunculi ſpiciferi, vnciales, biunciales, ſquamis ſubulatis concauis, plerumque ternatis adſperſi. Saepius rami florigeri

geri ad apicem in breuem dichotomiam diuiduntur, ex quarum singula pedunculis prodit. Saepius ex vna apice pedunculi prodeunt duo. Singulus pedunculus vel vnicam gerit spicam, vel versus apicem aut simpliciter, aut bis dichotomus est, hincque vel spicas duas gerit, vel quatuor. Spicae vnciales et longiores, constant ex squamis sat dense congestis, sub quarum singula latet capsula reniformis. Squamae in medio ex nigro fuscae, ad margines emarcidae, rotundatae, latiores tamen ac longae, terminatae arista eiusdem fere, cum squamula longitudinis, emarcida.

FONTINALIS.

Seta breuissima aut nulla, hinc capsula sessilis, quae perichaetio cincta et calyptra glabra tecta est.

* AQUATICAE.

* 113. FONTINALIS *minor.*

Fontinalis foliis ouatis, concauis, trifariis, acutis, passim geminis; antheris terminalibus. LINN. *Syst. veg. p. 795. Sp. 2. Spec. Plant. p. 1571. Spec. 2.* CRANTZ. *Inst. T. I. p. 59. Spec. 2.* NECK. *Del. p. 441. Sp. 2.*

Fontinalis triangularis, minor, carinata, e cymis capsulifera. DILL. *Histor. p. 257. T. 33. f. 2.*

Hypnum foliis ouatis, lanceolatis, carinatis, apicibus capsuliferis. HALL. *Hist. T. III. p. 41. n. 1795.*

Hypnum (*minus*) surculis trifariis, apice capsuliferis, operculo capitulorum cuspidato.

pidato. NECK. *Meth. pag. 192. Sp. 48. β.*

DIAGN. Aquatica. Folia carinata. Capsulae terminales.

LOC. NAT. In fluuiis Hercyniae vbique copiosa, lapidibus adhaerens v. c. prope Schluft, Altonau, inter Braunlage et Schierke, et alibi.

Descr. Surculi palmares, in fluuiis rapidioribus saepius vlnares, ramosissimi. Caulis in iunioribus ruber, pellucens. Folia ouata, mucronata, carinata, trifariam imbricata, (vnde surculi triangulares,) in apice surculorum tamen in tenuem mucronem conniuentia. Ex his oriuntur capsulae terminales, ouatae, breuiter pedunculatae, basi tantum foliolis cinctae, operculo magno capsulam aequante, cum calyptra paululum recurvato. Color in iunioribus ex luteo virescens, in adultioribus nigricans.

* EXTRA AQVAM DEGENTES.

* 114. FONTINALIS *pennata.*

Fontinalis foliis bifariis, patentibus; antheris lateralibus. LINN. *Spec. Plant. p. 1571. Sp. 4. Syst. veg. p. 795. Sp. 4.* CRANTZ. *Inst. T. I. p. 59. Sp. 4.*

Hypnum caulibus distichis, ramosis, foliis ouatis, transuersim vndosis. HALL. *Hist. T. III. p. 41. n. 1795. T. 46. f. 2.* (NECK. *T. 45.* quae ex errore typographico adscripta est.)

Hypnum *(pennatum)* surculo pennato, decumbente, foliis vndato-rugosis, acu-

tis

tis, recuruiuſculis; capitulis axillaribus, ſeſſilibus, ſubcylindraceis. NECK. *Meth. p. 193. Sp. 50.*

Sphagnum cauliferum et ramoſum, foliis criſpis; crebris per caulem capitulis HALL. *Enum. Helu. p. 96. Sp. 3. T. 3. f. 2.*

Sphagnum pennatum vndulatum, vagina ſquamoſa. DILL. *Hiſt. p. 250. T. 32. f. 9.*

DIAGN. Arborea. Surculi compreſſi. Folia ad angulum acutum diſpoſita, elliptica, acuta, transuerſim vndulata.

LOC. NAT. Ex M. Bruchberg b. WILLICHIVS habuit.

Deſcr. Surculi longe repentes, bi, tri, quadriunciales, compreſſi, ex luteo vireſcentes, ſplendentes. Rami vnciales, biunciales, ramulis crebris, attenuatis, filiformibus donati. Folia duplicis ſeriei, (in ramulis interdum ſimplicis) imbricata, ad angulum acutum ſemper diſpoſita, ouata, aut lanceolota, elliptica, acuta, plicis transuerſis vndata, in ramulis filiformibus ſaepius ſetoſa. Capſulae in inferiori vtplurimum ſurculorum pagina, ad vtrumque caulis latus, foliis ouato-lanceolatis etiam ſubulatis, carinatis aut ſaltim concauis, non vndatis cinctae. Seta tenuis, pallida, breuiſſima. Iuniores capſulae ouatae, obſcure virides, operculo pallido, pyramidato, ariſtato tectae, diſtinctis iam tunc oris rubris. Adultiores aurantiacae, oris, delapſo operculo, ciliis pulcherrime rubris ornatae. Calyptra ex pallido rubens.

Obſ. Muſcus terreſtris maior, ramulis compreſſis, ſuperficie criſpis RAI. VAILL. *Bot. p. 129. T. 27. f. 4.* huc ab auctoribus refertur. Sed ex habitu figurae craſſiore, multiplici foliorum ſerie, ramis obtuſiuſculis, tandem ex adſcripto RAII ſynonymo patet *Hypnum* potius *criſpum* voluiſſe.

115. FONTINALIS *albicans.*

Bryum *apocarpum* β. LINN. *Spec. Plant. p. 1579.* WEIS. *Crypt. p. 180.*

DIAGN. Surculi teretes, ſubſecundi. Folia ouato-lanceolata, concaua. Capſulae plerumque laterales. Operculum obtuſe elevatum. Planta ſicca albicans.

LOC. NAT. Ad ſaxa ſyluarum Hercynicarum frequens.

Obſ. A ſequenti inſigniter differre mihi videtur. Surculi craſſiores, apicibus ſemper albis. Folia nullo neruo carinata, tenuiter ſubulata, pilo inſigni vero haud terminata. Foliorum, pilis albis terminatorum, color in ſicca ex albo viresſcens. Capſulae magis rotundatae, rarius terminales.

Synon. et deſcript. WEIS. *l. c.*

116. FONTINALIS *apocarpa.*

Bryum (*apocarpum*) ſurculo ramoſo, foliis carinatis, acutis, capitulis ſeſſilibus, ouatis, terminalibus. NECK. *Meth. p. 199. Sp. 8.*

Bryum *apocarpum* α. LINN *Spec. Plant. p. 1579. Sp. 1.* WEIS *Crypt. p. 179.*

DIAGN.

DIAGN. Surculi teretes, subsecundi. Folia lanceolata, carinata, neruo distincta. Capsulae plerumque terminales. Operculum aristatum. Planta sicca virescens aut nigricans.

LOC. NAT. Habitat ad arbores et saxa vbique.

Syn. et descript. WEIS *l. c.*

POLYTRICHVM.

Calyptra villosa.

117. POLYTRICHVM *Bryoides.*

WEIS *Crypt. p. 175.*

Polytrichum (*striatum*) capitulo laterali, ouato, subsessili; foliis integerrimis, exappendiculatis, primordialibus gemmosis NECK. *Meth. p. 121. Sp. 4.*

DIAGN. Ex NECKERI *descriptione petenda.*

LOC. NAT. Ad arbores, saxa imprimis vulgare. Varietates omnes, (quas bene constitutas vjdeas apud WEISSIVM *Crypt. p. 175. sq.* et NECKERVM *Meth. p. 121.*) in BRVCTERO legi.

Synon. et descript. WEIS *l. c.*

* 118. POLYTRICHVM *alpinum.*

Polytrichum caule ramosissimo, pedunculis terminalibus LINN. *Spec. Plant. p. 1573. Sp. 2. Syst. veg. p. 795. Sp. 2.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 43. Sp. 2.*

Polytrichum (*alpinum*) ſurculo ramoſiſſimo, ſetis terminalibus; capitulo ouato obliquo. NECK. *Meth. p. 120 Spec. 3.*

Polytrichum alpinum ramoſum, capſula ouali, calyptra conica. HALL. *En. Helu. p. 106. Spec 3. T. 3. f. 6.*

Polytrichum alpinum ramoſum, capſulis e ſummitate ellipticis. DILL. *Hiſt. p. 427. T. 55. f. 4.*

Bryum foliis ſerratis, capſulis ouatis, baſi turbinatis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 43. n. 1800. T. 46. f. 6.*

Icon OEDER *Dan. T. 296.*

DIAGN. Surculi ramoſiſſimi. Folia denticulata. Setae terminales. Capſulae ouatae.

LOC. NAT. Rarius in ſummi BRVCTERI locis ſterilibus prouenit.

Deſcr. Surculi ſemunciales ad biunciales, ramoſiſſimi. Folia nunc laxius diſpoſita, nunc (imprimis in ſiccioribus) arctius imbricata et adpreſſa lanceolata, carinata, laeuiter denticulata. Setae perichaetio folioſo cinctae, ex ramulorum apicibus, croceae, conſtanter fere vnciales. Capſulae ouatae, absque apophyſi, maturae inclinatae. Operculum conicum, croceum, aetate fuſcum, ex cuius medio prodit ariſta insignis pallida, aetate luteſcens. Calyptra ex pallido fulua. Orae margine cartilagineo cinctae, ex quo ciliae tenues, breuiſſimae, erectae, albae ſurguntur, vix niſi lente diſtinctae.

* 119. POLYTRICHVM *ornigerum.*

Polytrichum caule ramoſiſſimo: pedunculis axillaribus. LINN. *Spec. Plant. p. 1573. Sp. 3. Syſt. veg. p. 795. Sp. 3.* GRANTZ. *Inſt. T. I. p. 43. Sp. 3.*

Polytrichum *(ornigerum)* ſurculo ramoſiſſimo, ſetis lateralibus, capitulo erecto acuminato. NECK. *Meth. p. 120. Sp. 2.*

Polytrichum ramoſum, ſetis ex alis ornigeris. DILL. *Hiſt. p. 427. T. 55. f. 5.*

Bryum caule ramoſo, ex alis florigero, foliis ſerratis, capſulis cylindricis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 43. n. 1801.*

Bryum *(ornigerum)* caule ramoſiſſimo, pedunculis axillaribus, calyptrisque villoſis. NECK. *Del. p. 462. Sp. 20.*

Muſcus erectus, Iuniperi folio. VAILL. *Bot. T. 28. f. 13.*

Icon OEDER *Dan. T. 297.*

DIAGN. Surculi ramoſiſſimi. Folia denticulato-ſerrata. Setae axillares. Capſulae cylindraceae.

LOC. NAT. Copioſiſſimum eſt in ſyluis Hercynicis, vbique fere v. c. prope Clausthal, inter Clausthal et Schluſt, inter Clausthal et Goslar, in M. Radauerberg, BRVCTERO et alibi. Etiam in ſyluis nobis propinquioribus inter Elbingen et Pöhle

Deſcr. Habitus prioris, magnitudine ſimiliter varians, ſurculis vtplurimum tamen longioribus.

ribus. Folia similia, denticulato-serrata. Setae croceae, vncia longiores, saepius biunciales, perichaetio longe folioso cinctae, ex axillis ramorum ortae. Capsulae cylindraceae, apophysi destitutae, adultiores vrceolatae, vtplurimum erectae. Calyptra prioris. Operculum depressum, ex croceo-fuscum, ex cuius medio arista insignis alba prodit. Orae margine tenuiori donatae, squamulis fuscis introflexis obsito.

Obs. Omnibus rite perpensis ad *Polytrichum ornigerum* omnino pertinet Polytrichum *(dubium)* caule ramoso, capsulis oblongis, pedunculis lateralibus, foliis cartilagineo serratis. *Scop. Carn. 1. p. 136. Sp. 4. Carn. 2. p. 310. n. 1291.*

HYPNVM.

Seta ex tuberculo perichaetio cincto orta. Calyptra glabra.

* FRONDIBVS COMPLANATIS.

Facies surculorum compressa, foliis nunc arctius sibi incumbentibus, nunc laxius dispositis. *Hypna*, quibus surculi simpliciter pinnati sunt, huc pertinent, *filicina* vero in alia subdiuisione quaerenda.

(HYPNVM TRICHODES.)

120. HYPNVM *taxifolium.*

LINN. *Syst. veg. p. 799. Sp. 2.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 52. Sp. 2.* SCHREB. *Spicil. p. 86. n. 1051. Scop. Carn. 2. T. II. p. 328. n. 1314.*

Hypnum *(taxifolium)* surculo simplicissimo, basi stipitifero, capitulis incuruis,

curuis, apice subulatis; foliis imbricatis acutis. NECK. *Meth. pag. 151. Sp. 1.*

DIAGN. Folia lanceolata, elliptica, ad angulum acutum dispositа, nervo in mucronem desinente. Setae versus basin insertae.

LOC. NAT. Frequens in nemorosis, vdis. In syluis Hercynicis ad truncos et radices *Abietum* vbique.

Obs. Surculi etiam interdum ramulo vno alteroue donantur, et apice semel vel bis proliferos obseruauit *Celeb.* SCHREBER. Setae plerumque solitariae, non semper ad basin, sed inter basin et medium surculorum insertae.

Synon. et descript. WEIS *Crypt. p. 216.*

* 121. HYPNVM *denticulatum.*

Hypnum fronde pinnata, simplici, pinnis duplicatis, basi pedunculifera. LINN. *Spec. Plant. p. 1588. Sp. 3. Syst. veg. p. 799. Sp. 3.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 52. Sp. 3.* SCHREB. *Spic. p. 86. n. 772.* NECK. *Del. p. 466. Sp. 6.*

Hypnum foliis laxis, pinnatis, ouato-lanceolatis, aristatis, retroversis. HALL. *Hist. T. III. p. 35. n. 1772.*

Hypnum (*denticulatum*) surculo simpliciusculo, decumbente, basi setifero; capitulis obliquis; foliis ordine duplici, acutis, recuruatis. NECK. *Meth. p. 154. Sp. 5.*

Hyp-

Hypnum denticulatum, pinnatum, pinnulis duplicibus recuruis. DILL. *Hist. p.* 266. *T.* 34. *f.* 5.

Muscus pennatus, capitulis Adianti. MORIS. *Hist. III. p.* 626. *T.* 6. *f.* 36.

Muscus pennatus, denticulatus, minor. VAIL. *T.* 29. *f.* 8.

DIAGN. Foliola ouato-triangularia, acuminata, proxime sibi incumbentia, falcata. Setae basi erumpentes.

LOC. NAT. Amat syluosa. Mea specimina legi ad radices *Abietum* inter Clausthal et Schuft, inter Braunlage et Schiercke.

Descr. Surculi simplices et ramosi, a centro diffusi, decumbentes, semiunciales, vnciales, sensim sensimque magis attenuati. Folia plerumque duplicis seriei, arcte sibi incumbentia, alterna, amplexicaulia, pellucida, nitentia, ex luteo-viridia, acuminata, imo interdum in filum producta, ouato-triangularia, falcata, vnde apices in plerisque incuruae, (quod fere notam characteristicam exhibet). Margo per lentem serrulatus. Setae ad basin surculorum erumpunt, hinc in centro congestae sunt, fere vnciales, rubicundae. Capsulae saturatiores, inclinatae, senescentes rursus eriguntur, cylindricae sunt, et magis lutescentes. Operculum breue, exacte conicum *a*). Orae ciliatae, albae. Floret m. Octobris.

* 122. HYPNVM *hornum.*

DIAGN.

a) SCHREB. Spicil. l. c.

DIAGN. Foliola longe lanceolata, subulata, alterna, laxe disposita, patentissima.

LOC. NAT. Lectum ad rupes in syluosis prope Goslar accepi ab amico J. D. SCHRECKER, vbi v. c. prouenit in vallo prope fl. Ocker et im Kirderthal.

Descr. Surculi erectiusculi, saepius procumbentes, semunciales, rarius vnciales, pennati, simplices aut vno alteroue ramulo donati. Foliola alterna, longe lanceolata, subulata, integerrima, *Bryo horno* similia, laxiora, quam in vllo alio pinnato, patentissima, ita vt in multis speciminibus omnino ad angulum rectum disposita sint, per lentem obscure reticulatim punctata, nerno diuisa, in aliis tamen vix conspicuo (quod imprimis de speciminibus valet, quae ex Heluetia habeo) in iunioribus vti caulis laete viridia, in adultioribus fuscescentia. Ad radicem, frequentius vero inter radicem et medium surculorum, e perichaetio insigni, quod in plerisque ex vnica squama constare videtur, quasi ex spatha erumpunt setae plerumque solitariae, rubicundae fere vnciales. Capsulae iuniores virideſcentes, adultae aurantiacae, valde inclinatae. Operculum concolor, breue, acuminatum, quo delapso orae serrato-denticulatae, prominentibus ex capsula paleis albidis. Floret vere et autumno.

Obs. Foliis hocce *Hypnum* ab omnibus pinnatis imprimis differt, hinc initio existimaui esse Hypnum *(spiniforme)* fronde simplicissima, foliis patentibus, subulatis, pedunculis radicalibus. LINN. *Syst. veg. p. 799. Sp. 1.* etiamque primo adspectu figura DILLENII, (quoad foliorum structu-

structuram nempe) bene conuenit, ad quem errorem me imprimis deduxerat, locus quem Ill. LINNAEVS suo *Hypno* designauit, quum ad *Hypna* frondibus pinnatis retulerit. Sed *Spiniforme* LINN. nequaquam ad hanc subdiuisionem pertinet, quum ipse DILLENIVS expressis verbis adnotauerit, folia vndique prouenire, quod etiam ex DIELENII icone, accuratius inspecta, melius tamen adhuc ex icone, quam *Sloane* dedit, adparet. Eundem muscum, sed absque setis, ex Herbario WILLICHIANO accepi a carissimo WEISSIO. B. WILLICHIVS adnotauerat, ex Helvetia a Perill. HALLERO missum esse, illique nomen *denticulati* LINN. imposuerat, a quo tamen maxime differt. Nec Perill. HALLERVM in Historia sua sub n. 1772. aliud, quam *denticulatum* LINN. intellexisse patet tam ex eius descriptione, quam ex citata DILLENII figura.

123. HYPNVM *Bryoides*,

LINN. *Syst. Veg. p. 799. Sp. 4.* CRANTZ. *Inst. T. I. p. 52. Sp. 4. Scop. Carn. 2. T. II. p. 327. n. 1313.*

Hypnum *(Bryoides)* surculo simplicissimo decumbente, apice stipitifero, capitulis erectis, ouoideis, foliis imbricatis. NECK. *Meth. p. 152. Sp. 2.*

Muscus terrestris minimus, foliis pennatim dispositis. BVXB. *Cent. I. p. 44. T. 64. f. 3.*

DIAGN. Setae terminales, orae ciliatae.

LOC. NAT. In syluis crescit ad terram, imprimis argillosam *a*) Frequens prope Scharzfeld in

a) SCOP. Carn. 2. p. 328.

in rupe die alte Kirche dicto, inter Clausthal et Goslar, et alibi.

Obſ. Surculos ſaepius ramoſos vidi, an igitur reuera differt *Hypnum acacioides* LINN. quum et in hoc obſeruante DILLENIO ſurculi interdum ſimplices ſint. Setas multo quidem breviores pinxit DILLENIVS, ſed dein ſpecimina ſetis longioribus habuiſſe adnotauit. Longitudine inſigni ſurculorum differt, ſed hoc non ſufficit. Praeterea vero DILLENIVS orbs ciliis deſtitutas pinxit, quae tamen ipſo illo adnotante forte adſunt. Examinent alii.

Syn. et Deſcr. *Hypni Bryoides* WEIS *Crypt. p. 217.*

* 124. HYPNVM *adianthoides*,

Hypnum fronde pinnata, ramoſa, erecta, medio pedunculifera. LINN. *Spec. Plant. p. 1588. Sp. 6. Syſt. veg. p. 799. Sp. 6.* CRANTZ. *Inſt. T. I. p. 53. Sp. 6. Scop. Carn. I. p. 150. Sp. 3. Carn. 2. T. II. p. 329. n. 1315.* NECK. *Del. p. 465. Sp. 4.*

Hypnum foliis planis pinnatis, pariun quadraginta. HALL. *Hiſt. T. III. p. 36. n. 1774.*

Hypnum (*adianthoides*) ſurculo ramoſo, erecto, medio ſtipitifero, capitulis obliquis ſubulatis; foliis imbricatis acutis. NECK. *Meth. p. 153. ſp. 3.*

Hypnum taxiforme paluſtre, ramoſum maius et erectum DILL. *Hiſt. p. 264. T. 34. f. 3.*

Muſcus

Muſcus taxiformis, ramoſus VAILL. *Bot. T. 28. f. 5.* (Surculos procumbentes depinxit, caeteris figura optima).

Muſcus filicinus, ſeu pinnatus minor, pinnulis plurimis ad mediam coſtam adnexis. BVXB. *Cent. II. p. 3. T. 1. f. 4.*

DIAGN. Surculi erecti, ramoſi, in medio ſetiferi. Folia lanceolata, acuta, ad angulum acutum diſpoſita.

LOC. NAT. Amat regiones vdas, paludoſas, lectum mihi in Brucheri torfoſis paludibus.

Deſcr. Surculi vnciales, bivnciales et longiores, erecti, ramoſi ad apices ex foliorum ſitu bifidi. Folia ſibi approximata, alterna, ſubamplexicaulia, lanceolata, acuminata, ſaepius aliquot lineas longa, neruo percurſa, pellucida, laete viridia, in adultioribus dilute fuſca, in vno ſurculo ſaepius triginta parium, imo quadraginta *a*) Foliolum terminale breuiſſimum. Ex perichaetio inſignis craſſitiei e medio ſurculorum ſetae, pro ratione ſurculorum, breues, rubicundae, alternae, copioſae. Calyptra pallida, apice fuſca. Operculum admodum acuminatum, laete purpureum, quo delapſo capſulae vrceolatae, in adultioribus natantes, orae ciliis breuiſſimis vix conſpicuis.

125. HYPNVM *complanatum*,

Hypnum fronde pinnata, ramoſa; foliis imbricatis acutis, complicatis, compreſſis LINN. *Syſt. veg. p. 799. Sp. 7.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 53. Sp. 7.*

Hypnum

a) HALL. Hiſt. l. c.

Hypnum *(complanatum)* fronde ramosa; foliis distichis, imbricatis, acinaciformibus, acuminatis. SCHREB. *Spic. p. 87. n. 778.*

Hypnum pennatum compressum et splendens, capsulis ouatis. DILL. *Hist. p. 268. T. 34. f. 7.*

DIAGN. Surculi ramosissimi, complanati. Folia acuta, aut ouato-elliptica, aut lanceolata, in ramis simplicis seriei. Rami attenuati, filiformes.

LOC. NAT. Ad arborum radices copiosa planta, etiam ad rupes. Elegantissima specimina legi in introitu speluncae Baumannianae.

DESCR. Surculi splendentes, ramosissimi, bi, tri, quadriunciales, immo longiores, complanati, rarius inferne concaui, nec nisi in semisiccis speciminibus. Rami attenuati extremitatibus filiformibus. Folia simplicis seriei (in ramulis) aut duplicis et laxe imbricata, acuta, vtplurimum ouato elliptica, interdum etiam lanceolata, ex luteo viridia, ad extremitates ramulorum setacea. Secundum longitudinem caulis, rarius ex ramis oriuntur setae semunciales circiter, breuiores etiam et longiores, e perichaetio ex foliis setosis arcte sibi incumbentibus conflato. Capsulae ouatae. In foliorum alis in plerisque gemmulae inueniuntur, ex quibus nunc setae, nunc noui ramuli egrediuntur. Quae *Fontinalis* iunioribus fructificationibus omnino similes. Caueas ergo, ne setis deficientibus *Fontinalis* esse speciem credas. Lubenter fateor, me ipsum olim in hunc errorem incidisse. His

accedit habitus *Fontinali pennatae* admodum similis; sed folia non vndulata sunt.

OBS. Hoc cum sequente a plerisque auctoribus aut confusum aut iunctum fuit. Sed ex adlatis notis omnino diuersum videas. Synonyma auctorum pleraque ad sequens pertinere ex collatis illorum descriptionibus patet. Plurima ex descriptione, quam *Cl.* WEIS *Crypt. p. 219.* dedit, ad hocce pertinent, nonnulla vero ad sequens. Scias enim, vtrumque intertextum saepius coniuncta efficere strata, ita vt vtrumque ad vnam eandemque plantam pertinere facile credas. (Sed et JVNGERMANNIAE inter *Hypna* crescunt) Synonymum HALLERI, quod adiecit, ad sequens pertinere initio credidi, quum perill. HALLERVS surculos sursum conuexos, deorsum concauos in descriptione dicat, sed semipedale esse, foliis ex ellipticis acuminatis addidit. Ergo potius huc pertinet. Figura DILLENII habitum plantae optime exprimit, in *Fig. 7*, Atamen, pleraque folia non satis acuta sunt. De variis aliorum auctorum synonymis ob icones et descriptiones iusto minus accuratiores dubius sum. Muscus terrestris repens, primae speciei similis, sed multo minor RAI. MORIS. *Hist. P. III. p. 625. Sect. 15. T. 5. f. 2. f. 5.* et Muscus terrestris squamosus elegans, in humidis nascens surculis et foliis Thugae instar compressis RAI. MORIS. *Hist. P. III. p. 625. Sect. 15. T. 5. f. 3. f. 15.* ob longos surculos et attenuatos ramos huc pertinere videntur. In priori setae male terminales pinguntur, nec foliorum figura bona. Icon VAILL. *T. 21. f. 7.* si huc pertinet, non bona, aliud huc relatum VAILLANTII synonymum potius ad sequens pertinere videtur.

* 126.

* 126. HYPNVM *trichomanoides.*

Hypnum fronde ramosa; Foliis distichis, imbricatis, acinaciformibus, obtusis. SCHREB. *Spic. p. 88. n. 1053.*

Hypnum pennatum, trichomanoides, splendens ramosum. DILL. *Hist. p. 269. T. 34. f. 8.*

Muscus trichomanoides, filicifolius, splendens. VAILL. *Bot. T. 23. f. 4.*

DIAGN. Surculi ramosi, inferne concaui. Rami obtusi. Folia arcte imbricata, duplicis seriei, obtusa.

A priori differt surculis breuioribus, strictioribus, obscuriori colore, ramis non attenuatis, foliis obtusis, arctius imbricatis.

LOC. NAT. Ad arborum truncos et radices in nostris syluis vulgare.

DESCR. Surculi vnciales, ad summum biunciales, ramosissimi, insigniter splendentes, laete et obscure virides, superne conuexi, inferne concaui. Ramuli breues, obtusi. Folia ouata, obtusa, arcte imbricata, in duplici etiam triplici serie. Setae fere ex medio surculorum, vtplurimum ad exortum ramulorum oriuntur, ex perichaetio setoso, semunciales et paulo longiores; ex rubicundo croceae. Capsulae ouatae, oris albis.

OBS. Folia non rotundata esse, sed obtusa et angulo terminata recte adnotauit *Ill.* SCHREBER, in nonnullis tamen vere rotundata video. Operculum magis acuminatum esse ac in priori SCHREBER. Hypnum *(complanatum)* surculo reptante

ramoso; ramis basi setiferis; capitulo ouali, erecto; foliis complicatis, obtusis. NECK. *Meth. p.* 155. *Sp.* 6. quoad descriptionem omnino huc pertinet, vtrumque vero DILLENII synonymum *Cel.* NECKER huc refert. Muscus filicinus minor C. Bauhini. VAILL. *Bot. T.* 23. *f.* 9. et Muscus terrestris minor foliis crispis BVXB. *Cent. IV. p.* 37. *T.* 82. *f.* 3. vix huius loci esse videntur, saltim ex iconibus plantam haud agnoscas.

* 127. HYPNVM *lucens.*

Hypnum surculis ramosis, frondibus subpinnatis; foliolis punctatis. LINN. *Spec. Plant. p.* 1589. *Sp.* 9. *Syst. veg. p.* 799. *Sp.* 9. CRANTZ *Inst. T. I. p.* 53. *Sp.* 9.

Hypnum *(lucens)* fronde compressa, ramosa; ramis vagis, obtusis; foliis ouatis, imbricatis, reticulatis, planis. SCOP. *Carn.* 1. *p.* 152. *Sp.* 7. *Carn.* 2. *T. II. p.* 331. *n.* 1319.

Hypnum pennatum, aquaticum, lucens, longis latisque foliis. DILL. *Hist. p.* 270. *T.* 34. *f.* 10.

DIAGN. Surculi imbricati. Folia ouata, diaphana, punctata.

Ab *Hypno vndulato* et *crispo* differt foliis ouatis, punctatis, nec plicis transuersis notatis.

LOC. NAT. Incolit vmbrosa, vda. Occurrit ad riuum der Engelskroner Graben (ab aliis vocatur das Schneidwasser) inter Altenau et Borkenkrug, *Abietum* radicibus, quas aqua superfluit, adhaerens.

DESCR.

DESCR. Confertim naſcuntur ſurculi vnciales, bi et triunciales ſimplices etiam ramoſiſſimi, a baſi vsque ad apicem foliis tecti. Rami ſparſi, obtuſi. Caulis compreſſus, inferne eleuatus, cui adnectuntur folia ouata, verſus latus exterius elliptica (inferiora imprimis) acutiuſcula, alterna, ex albo virentia, diaphana, integerrima, punctata, quae puncta per lentem oblonga ſunt, in rete opacum diſperſa. Haec imbricatim naſcuntur triplici et quadruplici ſerie (ſimplicem enim foliorum ſeriem, ant potius duplicem, qualem DILLENIVS obſervauit, et quae folia pinnata reddit, ego non vidi) ad latera vtplurimum deflectuntur, ita vt rami inferne concaui euadant.

In vetuſtioribus planta nonnihil mutatur. Surculi ad baſin foliis deſtituuntur. Folia ſuperiora colorem atrouirentem obtinent, inferiora albidum, glaucum etiam rufeſcentem, magis acuminata fiunt, imo ſaepius pilifera. Florentem ego non reperi, quamquam et m. Octobris et Aprilis et Julii locum natalem perſcrutauerim, hinc floreſcentiae ſtatum verbis *Ill.* SCOPOLI *a*) accuratiſſimi obſeruatoris deſcribam.

„Bulbilli laterales, ramei, cylindrici. Setae „croceae ſemunciales. (vnciales et longiores obſer„vauit DILLENIVS) Capſula nutans, ouata, „delapſo operculo nigricans, et coronata dentibus „ferrugineis, e quorum medio prominet receptaculum villoſum, pyramidale. Quibus ex DIL„LENIO *b*) addo: Operculum cuſpidatum, ca„lyptram rectam, cuſpidatam albicantem, media„tenus antheram tegentem.“

a) Carn. 2. l. c. *b*) l. c. p. 271.

In Herbario *b.* WILLICHII postea florentia vidi specimina, quibuscum descriptiones SCOPOLI et DILLENII accuratissime conueniunt. In setis tamen croceo rubicundi quid admixtum est, quae vnciales sunt et semunciales. Capsulae iuniores ex obscuro virides.

128. HYPNVM *crispum.*

LINN. *Syst. veg. p. 800. Sp. 11.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 53. Sp. 11.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 330. n. 1312.*

Hypnum *(crispum)* surculo ramoso, vago, erectiusculo, stipitifero; capitulis obliquis, acuminatis; foliis vndulatis, obtusis, distichis. NECK. *Meth. p. 153. Sp. 4.*

DIAGN. Surculi complanati, vndique ramosi. Folia transuersim plicata. Perichaetium tertiam fere partem setae semuncialis occupans. Capsulae maturae erectae.

Differt ab *vndulato* perichaetio, longitudine setarum capsula.

LOC. NAT. Loca sicciora cupit, ad radices *Fagum* locis rupestribus imprimis frequens. Copiosissimum inter frutices ad rupes die alte Kirche, dictis prope Scharzfeld. In syluis Hercynicis caeteroquin rarius occurrit.

OBS. Folia certe acuminata sunt, nec obtusa, et basi bicorni caulem amplectuntur *a*). Perichaetium ex *Hypnis*, quae vidi, ratione setarum longissimum. Operculum fere longitudinis antherae.

Syn. et descript. WEIS *p. 221.*

* *β.*

a) SCOP. l. c.

* β. HYPNVM *crispum, teretiusculum.*

Peculiaris varietas, quam prope Scharzfeld iisdem locis legi. Rami multo copiosiores, strictiores, conferti, densioresque, ad angulum acutum dispositi et teretiusculi sunt, foliaque magis approximata. Habitu primo adspectu diuersissimum est, certe tamen non differt.

In speciminibus Isenaci a *Celeb.* GRIMMIO lectis et *b.* WILLICHIO transmissis (qualia etiam occurrunt prope Scharzfeld et circa die Bruck) ramulos versus extremitates magis attenuatos, foliis breuioribus vestitos, (quae alias plerumque valde obtusi sunt) foliaque in humida planta vix plicata video. Siccus tamen status et setae idem esse *Hypnum* declarant. Verosimile mihi videtur, talia fuisse specimina, quae *Ill.* SCOPOLI sub nomine *Hypni ornithopodioides* descripsit.

129. HYPNVM *vndulatum.*

LINN. *Syst. veg. p. 799. Sp. 10.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 53. Sp. 10.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 331. n. 1318.*

Hypnum (*vndulatum*) surculo vago, basi mediоque setifero; capitulis oblongis, obliquis; foliis distichis, complicatis, lanceolatis, vndatis. NECK. *Meth. p. 156. Sp. 7.*

DIAGN. Surculi complanati, longe nudi, inferius tantum vno alteroue ramulo adsperſi, ſicci pallide luteſcentes. Folia transuerſim plicata. Paerichaetium ex foliis laxis, reflexis. Setae vncia longiores. Capſulae maturae admodum incuruae.

LOC. NAT. Prouenit in vdis vliginosis. Per omnes syluas Hercynicas vulgare ad radices *Abietum* et lapides, imprimis vero copiosum legi ad riuulum die Bremke inter Braunlage et Schierke, inter Clausthal et Schluft, in adscensu BEVCKTERI minus copiosum in tupibus prope Scharzfeld.

OBS. Setae vnciales, saepius bunciales sunt, quas profert m. Octobris et Maii. Capsulae versus oras dilatatae. Orarum ciliae albae. Figura DILLENII plures surculos in centro congestos repraesentat, et ita crescere solet, nisi nimis copiosis surculis accumulatur.

Synon. et descript. WEIS *Crypt. p. 220.*

** FILICINA, SVRCVLIS PENNATIS.

Haec et in ramis et in ramulis, habitum pinnatum referunt, et vndique in plerisque compressa sunt, surculis et ramis versus apicem sensim sensimque decrescentibus, Filicum more. Caeterum rami teretiusculi sunt, foliis ad angulum acutum dispositis, in nonnullis secundis et recuruatis.

130 HYPNVM *filicinum.*

LINN. *Syst. veg. p.* 800. *Sp.* 14. SCOP. *Carn.* 2. *T. II. p.* 333. *n.* 1321. CRANTZ *Inst. T. I. p.* 54. *Sp.* 14.

Hypnum (*filicinum α. spicatum*) surculis pinnatis; pinnis foliosis, simplicibus, distantibus, versus apicem approximatis in spicam; foliis imbricatis, falcatis. WEIS *Crypt. p. 228.*

Hypnum

Hypnum *(filicinum)* ſurculo iuniore erecto, ſimpliciter pinnato, adulto ſubrepente, capitulifero; capitulis oblongis, obliquis. NECK. *Meth. p. 164.*

DIAGN. Surculi erecti, ſimplices (rariſſime ramoſi) Pinnulae rameae ad angulum rectum diſpoſitae, apicibus vncinatis, foliis deorſum ſecundis. Capſulae oblongo cylindricae, maturae inclinatae, incuruae.

LOC. NAT. Locis paludoſis et ſyluoſis vdis frequens. Copioſiſſimum imprimis inter Braunlage et Schierke m. Octobris florens.

OBS. Surculorum apex in auerſum a ſeta latus flexus, admodum incraſſatus. Setae vtplurimum in medio ſurculorum oriuntur. Tam ramoſum vero, et tam copioſis ſetis obſeſſum, quale DILLENIVS *T. 36. f. 19. A.)* pinxit, numquam vidi, qui etiam pinnulas rameas iuſto magis diſtantes delineauit. Huic vt varietatem aſſociat HVDSON (FLOR. *angl. p. 422. β.)* Hypnum repens filicinum trichoides paluſtre DILL. *Hiſt. T. 36. f. 21.* (Hypnum *dubium* NECK. *Meth. p. 161. Sp. 12.)* Iſtud me in Holſatia reperiſſe adnotaui, ſed quum ſpecimina non coram habeo, an reuera varietas ſit, an ne? diiudicare nolo. Ex iis tamen, quae adnotaui, diuerſum videtur.

Syn. et deſcr. WEIS *Crypt. l. c.*

131. HYPNVM *compreſſum.*

Hypnum ſurculis pinnatis, compreſſis; foliis acutis, incuruis; antheris erectiusculis ouatis. HVDS. *Flor. angl. p. 423. Sp. 20.* LINN. *Syſt. veg. p. 800.*

Hypnum *(filicinum β. ramoso-pinnatum)* surculis pinnatis; pinnis folioſis, ſubramoſis, laxis, inordinatis, apice criſpatis; foliis imbricatis, falcatis. WEIS *Crypt. p. 229.*

DIAGN. Surculi ramoſi, ſubrepentes, ramis diffuſis. Pinnulae rameae ad angulum acutum diſpoſitae, apicibus vncinatis, foliis ſecundis. Capſulae ouatae, maturae inclinatae.

Differt a priori habitu minus ſtricto, ſurculorum apicibus vncinatis quidem non vero incraſſatis, ramis copioſis, pinnulis rameis ad angulum acutum diſpoſitis, laxioribus, foliis haud ita accurate deorſum ſecundis, ſed potius lateraliter immo ſurſum ſecundis, capſulis maturis non incuruatis.

LOC. NAT. Lectum circa Goslar a Dn. SCHNECKERO accepi.

OBS. Ill. HALLERVS huc refert Muſcum terreſtrem, repentem, ſubflauum, foliolis criſpis minoribus, ramulisque denſius confertis. VAILL. *Bot. p. 141. T. 27. f. 14.* Mallem tamen ob ſetas breuiores, apices ſurculorum incraſſatos, et deſcriptionem hanc cum *criſta caſtrenſi* relinquere.

Syn. et deſcript. WEIS. *l. c.*

132. HYPNVM *cuſpidatum α. pungens.* WEIS *Cryp. p. 251.*

Hypnum *(cuſpidatum etc.)* LINN. *Syſt. veg. p. 801. Sp. 35.* CRANTZ. *Inſt. T. I. p. 57. Sp. 35.*

Hypnum

Hypnum (*cuſpidatum*) ſurculo erecti-uſculo; ramis ſummis pungentibus; ſetis axillaribus, longiſſimis. NECK. *Meth. p.* 163. *Sp.* 16.

DIAGN. Surculi erecti, ſubramoſi, compreſſiuſculi. Folia concaua, acuminata, in ramorum extremitatibus denſe conuoluti, in acumen cuſpidatum. Perichaetium et tuberculum inſignia, lineam ſaepius excedentia.

LOC. NAT. Rarius legi inter Andreasberg et Lauterberg.

OBS. Huic omne iure *Cl.* WEIS ſequentem varietatem aſſociauit, quae toto habitu imprimis vero perichaetio et ſetis eadem eſt. Differt tantummodo, ramis plerisque paululum deflexis, apicibus minus nec in pungentem mucronem conuolutis, caule magis purpuraſcente, quas differentias tamen, ſi priorem varietatem in adultiori ſtatu vides, etiam reperies.

β. HYPNVM *cuſpidatum, inerme.*

WEIS *Crypt. p.* 253. β.

Hypnum (*compreſſum*) ſurculo erecto, ramoſo; ramis baſi ſetiferis, planis, recuruiuſculis, ſtipite triplo breuioribus. NECK. *Meth. p.* 159. *Sp.* 10.

Hypnum (*compreſſum*) ſurculis plano-pinnatis; ramulis ſimplicibus, proliferisque; pedunculis bipollices adaequantibus. NECK. *Del. p.* 477. *Sp.* 23.

Hypnum (*compreſſum*) ramis apice attenuatis; foliis ouato-lanceolatis; ſetis elon-

elongatis, capsulis inclinatis, operculo conico. SCHREB. *Spic. p. 96. n. 1067.*

LOC. NAT. Copiosissimum est in syluis et pratis Hercyniae v. c. inter Clausthal et Schluft, inter Braunlage et Schierke, et alibi.

OBS. Hypno puro altera imprimis varietas aliquatenus similis est, differt vero caule purpurascente, ramis compressiusculis, foliis laxioribus. Muscus erectus, foliis angustis, caulibus appressis VAILL. *Bot. T. 29. f. 1.* quem auctores huc referunt, ob setas longiores etiam huc pertinere videtur. Folia tamen nimis appressa sunt, et surculi teretes, ita vt si setas auferas, optima figura *Hypni puri* sit. Figurae BVXBAVMII *Cent. IV. T. 64. f. 1 et 3.* quae a DILLENIO et *Illust.* SCHREBERO huc referuntur, habitum plantae nequaquam exprimunt. Modus crescendi plane alius et *fig. 3.* iusto multo ramosior est.

Vtriusque plura syn. et descript. vid. in WEIS *Crypt. l. c.*

133. HYPNVM *proliferum.*

LINN. *Syst. veg. pag. 800. Spec. 15.* CRANTZ. *Inst. T. I. p. 54. Sp. 15.*

Hypnum *(parietinum)* surculo pinnato; ramis arcuato-subulatis, teretibus, capitulis aggregatis, obliquis, operculo subulato. NECK. *Meth. p. 157. Sp. 8.*

DIAGN. Vndique compressum. Folia in surculis et ramis laxe disposita, pellucente vbique

vbique neruo purpureo. Siccum luteo-splendens.

LOC. NAT. Syluas vestit vmbrosas. Ad *Abietum* radices et terram vbique fere in sylvis Hercynicis frequens.

OBS. Ill. LINNAEVS antea in *Systemate naturae et Speciebus plantarum* synonyma, quae ad *proliferum* pertinent ad *parietinum* retulit et vice versa. Quo deducti, omnes fere auctores, confusionem aliquam in synonymis adhibuere, excepto perill. HALLERO, qui recte illa disposuit, etiamque nuper in *Systemate vegetabilium* haec emendauit Ill. LINNAEVS. Synonyma ergo, quae in Cl. WEISSII *Flor. Crypt. p.* 232 sub *parietino* occurrunt, excepto LINNAEANO vna cum descriptione ad *proliferum* pertinent, et vice versa.

134. HYPNVM *parietinum*,

LINN. *Syst. veg. p.*800. *Sp.*17. CRANTZ *Inst. T. I. p.* 54. *Sp.* 17.

Hypnum *proliferum* SCOP. *Carn. 2. T. I. p. 339. n. 1332.*

Hypnum (*tamariscifolium*) surculo repente; ramis planiusculis, proliferis; capitulis confertis incuruis. NECK. *Meth. p. 158. Sp. 9.*

DIAGN. Vndique teretiusculum. Folia in pinnis rameis arcte sibi incumbentia, ita vt neruus haud pellucear. Siccum absque splendore.

LOC. NAT. Similis cum priori.

Sym.

Syn. et descr. *sub prolifero* WEISSII *Crypt. p. 230.* inuenies.

135. HYPNVM *praelongum,*

LINN. *Syst. veg. p. 800. Sp. 18.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 54. Sp. 18.* SCHREB. *Spicil. p. 88. n. 1054.*

Hypnum (*praelongum*) surculo reptante, ramulis subaequalibus; setis axillaribus, capitulis subcernuis; foliis serrulatis, patulis. NECK. *Meth. p. 174. Sp. 28.*

Muscus terrestris minor, foliis crispis. BVXB. *Cent. IV. p. 27. T. 63. f. 3.*

DIAGN. Surculi confertissimi, tenues, ramosi. Pinnulae rameae paucae. Folia secunda, pilifera, in duplici aut triplici serie.

LOC. NAT. In syluis Hercynicis vbique latis caespitibus *Abietum* cortices obducit, circa m. Octobris florens. Etiam ad terram non rarum.

OBS. VAILLANTII icon optima est, nec enim DILLENII, nec BVXBAVMII figura habitum plantae bene exprimunt. Setae tamen in omnibus, iusto multo longiores sunt, in illis enim, quae ego vidi speciminibus, semper semunciam vix attingunt. An Hypnum foliis patulis, subulatis, operculis conicis. HALL. *Hist. T. III. p. 27. n. 1732.* huius loci est? Ex descriptione et adducto BVXBAVMII synonymo hoc credas.

Syn. et descript. WEIS *Crypt. p. 235.*

136. HYPNVM *Crista castrensis,*

LINN. *Syst. veg. p. 800. Sp. 19.* SCOP. *Carn.*

Carn. 2. T. II. p. 332. n. 1320. CRANTZ *Inſt. T. I. p. 55. Sp. 19.*

Hypnum *(Criſta caſtrenſis)* ſurculo pinnato, ramis ſupremis contiguis, apice deflexis; capſulis ſubrotundis, obliquis. NECK. *Meth. p. 165. Sp. 18.*

DIAGN. Surculi repentes, intricati, ramoſiſſimi. Pinnulae rameae ad angulum rectum diſpoſitae, apicibus vncinatis. Folia ſecunda. Capſulae ouatae, inclinatae.

Differt a prioribus toto habitu magis criſpato, ramis copioſioribus, ſetis breuioribus, quae mihi ſemper vncia breuiores fuere.

LOC. NAT. Sicciora quaerit, tamen etiam in humidioribus Hercyniae ſyluis, ad terram et *Abietum* radices frequens.

Syn. et deſcript. WEIS *Crypt. p. 233.*

137. HYPNVM *abietinum,*

LINN. *Syſt. veg. p. 800. Sp. 20.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 55. Sp. 20.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 338. n. 1331.* SCHREB. *Spicil. p. 89. n. 1055.*

Hypnum *(abietinum)* primordialibus obtuſis; ramis teretibus, ſubulatis; foliis ouatis, acutis, rachi ſiccata adpreſſis. NECK. *Meth. p. 163. Sp. 15.*

DIAGN. Pinnulae rameae et folia valde approximata, vtraque in humido patula, in ſicco cauli valde adpreſſa, ramis filiformibus, teretibus.

A *pa-*

A *parietino* differt ramis in ſicco filiformibus, cauli adpreſſis, a *filicino* et *compreſſo* foliis non falcatis.

LOC. NAT. In ſyluis Hercynicis ad terram copioſiſſimum. Etiam non procul ab vrbe inter portam Wehndenſem et S. Albani ad terram et muros frequens, vt et ad oras ſyluarum prope Wehnde.

Syn. et deſcript. WEIS *Crypt. p. 236.*

138. HYPNVM *plumoſum*,

LINN. *Syſt. veg. p. 800. Sp. 21.* CRANTZ *Inſt. T. 1. p. 55. Sp. 21.*

Hypnum *(plumoſum)* ſurculo ramisque repentibus, ramis approximatis; capitulo erecto. NECK. *Meth. p. 173. Sp. 27. β.*

DIAGN. Rami breues, intricati. Ramuli teretiuſculi, foliis etiam in ſiccitate patentiſſimis.

LOC. NAT. Legi ad ſaxa in adſcenſu M. Brucheri, verſus Schierke et prope Andreasberg.

OBS. Pro varietate *Hypni ſericei*, Cel. NECKER habet, cui etiam valde affine eſt, ſed differt habitu vere pinnato, foliis patentiſſimis.

Syn. et deſcript. habet WEIS *Crypt. p. 237.*

*** FOLIIS REFLEXIS.

Huc pertinent omnes ſpecies, quorum foliorum apex recuruatur, ſint folia vel ſecunda, vel vndique reflexa. In plerisque etiam ſurculorum apex recuruatur.

(Hypna nonnulla filicina. Hypnum caneſcens.)

139.

139. HYPNVM *cupreſſiforme.*

LINN. *Syſt. veg. p. 800. Sp. 22.* CRANTZ *Inſt. p. 55. Sp. 22.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 333. n. 1322.*

Hypnum *(cupreſſiforme)* ſurculo pinnato, ramis apice deflexis, remotis; capitulis ouatis, erectis. NECK. *Meth. p. 166. Sp. 19.*

DIAGN. Surculi repentes, rami erecti, ſuperne conuexi, inferne plani: Folia imbricata, ſecunda, falcata, pilifera.

LOC. NAT. Habitat ad arborum radices, ad truncos et inter alios muſcos. Frequens in omnibus ſyluis et pratis Hercynicis.

VAR. α. Varietatem ramis craſſioribus, ſolitoque multo longioribus *Hypno loreo* quodammodo ſimilem, caeteris non diuerſam in Bructero legi.

β. Aliam varietatem, quae et Hypnum repens, cupreſſiforme minus DILL. *Cat. p. 217.* a Cl. WEISSIO accepi. Haecce primo adſpectu diuerſiſſima videtur, ſurculis filiformibus, in quibus ob teneritatem, ſemicylindrica facies vix conſpicitur. Per lentem vero idem Hypnum eſſe manifeſtatur.

Syn. et deſcr. WEIS *Crypt. p. 238.*

140. HYPNVM *aduncum.*

LINN. *Syſt. veg. p. 800. Sp. 23.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 55. Sp. 23.*

Hypnum *(aduncum)* ſurculo erecto, ſimpliciuſculo, ramis recuruis, capitulo

obliquo, apice obtuso. NECK. *Meth. p. 167. Sp. 20.*

DIAGN. Surculi erecti, simplices, teretiusculi, florigeri, subpinnati, foliis secundis, apicibus aduncis.

LOC. NAT. Habitat in paludosis. Vulgare per omnem Hercyniam v. c. copiosissimum in Bructero, circa Oderbruck. In vdis circa Kerstlingerode Maio et Junio floret.

OBS. Haud florens simplicissimum vtplurimum est, florens aut statui florescentiae proximum pinnulis rameis breuioribus, copiose adspersum. Setae ex caule nec ramis. Perichaetium in iunioribus calyptra saepius longius, quae straminea, falcata. Quod in Bructero occurrit varietas est, surculis breuioribus, et toto habitu multo laxiore.

Syn. et descr. WEIS. *Crypt. p. 240.*

* 141. HYPNVM *scorpioides.*

Hypnum *(lycopodioides)* surculo adscendente, subpinnato; ramis recuruis; foliis dilatatis, secundis, rugosis. NECK. *Meth. p. 168. Sp. 22.*

Hipnum *(lycopodicides)* ramis apice recuruis, decumbentibus; foliis secundis, antheris rectiusculis. NECK. *Del. p. 479. Sp. 28.*

DIAGN. Surculi crassiusculi, procumbentes, ramis suberectis, apicibus incrassatis, incuruis. Folia longe lanceolata, subulata, inaequaliter plicata, secunda. Capsulae oblongae, subcylindricae.

Differt

Differt a *loreo* furculis craſſiuſculis, admodum plerumque luteſcentibus, capſulis cylindricis, foliis neruo diuiſis, inaequaliter plicatis.

LOC. NAT. Creſcit in vliginoſis, paludoſis, ſyluoſis vdis. In paludoſis Bructeri et in ſyluis prope Lauterberg vtraque varietas non rara.

α. HYPNVM *ſcorpioides, minus,*

Hypnum *(rugoſum)* furculis vagis, erectiuſculis; foliis ſecundis, recuruatis, baſi rugoſis. LINN. *Mant. 1. p. 131. Syſt. veg. p. 799. Sp. 43.*

Hypnum luteſcens criſpum Lycopodii facie. DILL. *Hiſt. p. 289. T. 37. f. 24.*

β. HYPNVM *ſcorpioides, maius.*

Hypnum *(ſcorpioides)* ramis vagis, procumbentibus, recuruis; foliis ſecundis, acuminatis. LINN. *Spec. Plant. p. 1592. Sp. 24. Syſt. veg. p. 800. Sp. 24.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 55. Sp. 24.*

Hypnum ſcorpioides paluſtre magnum, Lycopodii inſtar ſparſum. DILL. *Hiſt. p. 290. T. 37. f. 25.*

DESCR. Surculi procumbentes, teretes, vnciales, bi raro triunciales. Rami ſuberecti, craſſiuſculi, apicibus incuruis, incraſſatis. Maiores rami vnciales vtplurimum, nunc nudi ſunt, nunc ſuperius aut inferius ramulis valde approximatis, breuibus, ad angulum rectum diſpoſitis adſpergunturs. Folia longe lanceolata, ſubulata et fere pilifera, ad baſin imprimis inaequaliter plicata, hinc rugoſa, neruo diuiſa, excauata, nitentia, pellucida, arcte ſibi

incumbentia. Color semper fere admodum lutescens, aut pallidus, saepius ad fuscum tendens, apicibus vix virescentibus, versus radicem fuscus. Setae semunciales, vnciales, rubentes. Capsulae paullo obscurius rubentes, cylindricae tenues, paululum inclinatae. Operculum acuminatum, quo secedente orae adparent non annulatae sed tantum albo-ciliatae.

Alteram varietatem, pro diuersa specie habere non passum, consentiente etiam Cel. NECKERO, quum, imprimis in sicco statu, a priori vix ac ne vix quidem distingui potest. Adultior videtur planta, quae tantummodo differt, surculis crassioribus, longioribus; foliis non tam arcte cauli adpressis, magis excauatis; colore saturatiore. Quam diuersitatem praesertim etiam a loco magis minusue torfoso originem trahere, obseruasse mihi videor.

* 142. HYPNVM *palustre*,

Hypnum surculis repentibus; ramis confertis, erectis; foliis ouatis secundis; antheris erectiusculis HVDS. *Flor. angl. p. 429. Sp. 37.* LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1593. Sp. 27. Syst. veg. p. 801. Sp. 27.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 56. Sp. 27.* SCHREB. *Spicil. p. 101. n. 1074.*

Hypnum foliis ouato-lanceolatis, falcatis; capsulis ouatis. HALL. *Hist. T. III. p. 28. n. 1738.*

Hypnum (*heterophyllum*) surculo reptante simplici, ramis erectis, setae subaequantibus; operculo mucronato. NECK. *Meth. p. 168. Sp. 21.*

Hypnum

Hypnum heterophyllum, aquaticum, polycephalon, repens. DILL. *Hist. p. 293. T. 37. f. 27.*

DIAGN. Surculi repentes, rami erecti; compressi. Folia duplicis aut triplicis seriei, secunda, falcata, acuta.

LOC. NAT. In aquosis et paludosis occurrit apud nos rarius. Legi tamen satis copiosum ad saxa in fluuio inter Schlaft et Andreasberg.

DESCR. Surculi longe repentes, nudi; rami erecti, semunciales, vnciales, subsimplices, compressi, copiosi, sensim sensimque apicem versus incrassati, in iunioribus ex luteo, in adultioribus ex fusco virescentes. Apex valde vncinatus, in adultioribus tamen saepius erectus, subulatus. Folia in inferiore surculorum parte laxius disposita, in superiori manifeste duplicis seriei, in semicirculum falcata, acuta, profunde canaliculata. Ex medio circiter ramulorum oriuntur perichaetia solitaria, insignia, squamis lanceolato-subulatis. Setae semunciales et vnciales, adultiores magnis anfractibus tortuosae. Capsulae parua apophysi donatae, iuniores oblongo-globulosae, lutescentes, adultiores fere sphaericae, atropurpureae, nunc erectae, nunc paululum inclinatae. Operculum breue, mucronatum, capsula latius, quo delapso orae per lentem breuissime fusco-denticulatae, ex capsulis vero prodit acervus insignis setacearum squamarum pallidarum.

143. HYPNVM *squarrosum.*

DIAGN. Surculi prostrati, rami erecti. Folia ouato lanceolata, subulata, reflexa, in

iunioribus secunda, surculorum apicibus aduncis. Capsulae ouatae, inclinatae.

A caeteris huius subdiuisionis differt insigni longitudine surculorum, pedalem saepius excedens.

α. HYPNVM *squarrosum, loreum.*

Hypnum *(loreum)* surculis repentibus; ramis confertis, erectis; foliis ouatis, secundis; antheris erectiusculis. LINN. *Syst. veg. pag. 801. Sp. 28.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 56. Sp. 28.*

Hypnum *(loreum)* surculo repente, ramis erectis; foliis subsecundis; capitulo obliquo subrotundo. NECK. *Meth. p. 170. Sp. 24.*

LOC. NAT. Habitat in syluosis ad terram. Copiosum inter Clausthal et Schluft.

β. HYPNVM *squarrosum, maius.* WEIS *Crypt. p. 242.*

Hypnum *squarrosum* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 334. n. 1323.* ramis vagis; foliis lanceolatis, complicato-carinatis, quinquefariam recuruatis. LINN. *Syst. veg. p. 800. Sp. 26.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 55. Sp. 26.*

Hypnum *(squarrosum)* surculo reptante, setifero, ramis vagis; foliis recurvis, subulatis, striatis; capitulo ouali, obliquo. NECK. *Meth. p. 171. Sp. 25.*

γ. HYPNVM *squarrosum minus.* WEIS *Crypt. p. 243.*

LOC.

LOC. NAT. Vtraque varietas priori vtplurimum inmiſcitur.

OBS. Hae plantae omnes certe varietates ſunt. Setas legi m. Octobris in omnibus ſimiles. Has ſub *ſquarroſo* deſcripſit Cl. WEIS, quibus tantum addam, quod operculum in iunioribus acuminatum ſit, nec obtuſum, capſula ad baſin luteſcens.

Synonyma et deſcriptiones vid. in WEIS *Crypt. p.* 242, 243, 244.

145. HYPNVM *ſcoparium.*

SCOP. *Carn.* 2. *T. II. p.* 334. *n.* 1324. WELS *Crypt. p.* 213.

Bryum *ſcoparium.* LINN. *Syſt. veg. p.* 797. *Sp.* 9. CRANTZ *Inſt. T. I. p.* 48. *Sp.* 9.

Bryum (*ſcoparium*) ſurculo declinato, ramoſo; foliis ſecundis, recuruatis; primordialibus plumuloſis. NECK. *Meth. p.* 223. *Sp.* 35.

Muſcus capillaceus, foliis pallidis, pediculis pluribus ex communi theca egredientibus BVXB. *Cent. II. p.* 9, *T.* 4. *f.* 1. (mala).

DIAGN. Surculi erecti. Folia longe lanceolata, carinata, apice conuoluta, neruo diuiſa. Apices ſurculorum ſemper incuruati, ſecundi. Setae vncia longiores. Operculum longe ariſtatum.

LOC. NAT. Vbique in ſyluis occurrit.

OBS. Caules saepius declinati sunt. Folia vtplurimum in tota planta secunda et falcata. Sed caueas ne plantam in qua folia erecta, vndique sparsa sunt, pro distincta habeas. Sic saepius in iunioribus. Versus apicem surculorum tamen folia semper falcata et secunda sunt.

Syn. et descr. WEIS *Crypt. l. c.*

β. Foliis insigniter vndulatis.

Elegantem varietatem legi in variis syluarum Hercynicarum locis ita v. c. prope Braunlage, in sylua inter molendinam marmoream et Blanckenburg, in sylua prope Wernigerode, vbi via versus Blanckenburg tendit. Ex speciminibus, quae in herbario WILLICHIANO. sub isto nomine ex Helueria missa vidi, huius tantum esset varietas.

γ. Hypnum foliis subulatis, vagis, pilo terminatis; capsulis cylindricis, inclinatis. HALL. *Hist. T. III. p. 37. n. 1778.*

146. HYPNVM *heteromallum.*

Hypnum foliis capillaribus, heteromallis; capsulis ouatis, operculis aristatis WEIS *Crypt. p. 215.*

Bryum *heteromallum* LINN. *Syst. veg. p. 798. Sp. 16.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 51. Sp. 16.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 319. n. 1302.* SCHREB. *Spicil. p. 78. n. 1036.*

Bryum (*heteromallum*) surculo adolescente apici, annotino dorso capitulifero; foliis secundis, capillaceis. NECK. *Meth. p. 229. Sp. 41.*

DIAGN.

DIAGN. Surculi erecti. Folia capillacea, falcata, secunda.

LOC. NAT. Ad vias sylvarum Hercynicarum abundat.

OBS. Ad *Hypnum* retulit *Cel.* WEIS, quem secutus sum. Fateor tamen, in meis potius tuberculum nudum, vno alteroue foliolo laxius tantummodo cinctum, quam verum perichaetium adesse.

Syn. et descr. WEIS *Crypt. p. 215.*

147. HYPNVM *rurale.*

WEIS *Crypt. p. 210.*

Bryum *rurale* LINN. *Syst. veg. p. 797. Sp. 7.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 47. Sp. 7.* SCOP. *Carn. 2. T[illegible]. p. 323. n. 1308.*

Bryum *(rurale)* surculo apicibus stellato; foliis recuruato patulis, operculo capitulorum subulato. NECK. *Meth. p. 225. Sp. 36.*

DIAGN. Surculi erecti. Folia, in caule laxissima, in apice congesta, carinata, ouata, pilo albo terminata, vndique reflexa.

LOC. NAT. In tectis et locis elevatis Hercyniae vbique frequens.

OBS. Rarius apud nos floret. In sylvis Hercynicis m. Octobris aetas legi.

Syn. et descript. WEIS *Crypt. l. c.*

**** SVRCVLIS DENDROIDIBVS SEV FASCICVLATIS.

148. HYPNVM *dendroides.*

LINN. *Syst. veg. p. 801. Sp. 29.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 56. Sp. 29.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 341. n. 1336.*

Hypnum *(dendroides)* surculo pristino reptante; ramis erectis, congregatis, simpliciusculis; operculo capitulorum cuspidato. NECK. *Meth. p. 187. Sp. 44.*

DIAGN. Rami erecti. Setae vnciales (aut paulo longiores) Operculum cuspidatum, longitudine dimidium capsulae aequans.

LOC. NAT. In syluis Hercynicis ad *Abietum* truncos non rarum.

OBS. Orae integerrimae sunt, ex capsula vero prominent squamae fuscae.

Syn. et descript. WEIS *Crypt. p. 245.*

149. HYPNVM *alopecarum.*

LINN. *Syst. veg. p. 801. Sp. 30.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 56. Sp. 30.* SCHREB. *Spicil. p. 96. n. 1068.*

Hypnum *(alopecarum)* surculo ramosissimo, erecto; ramis sparso-pinnatis, primordialibus plumulosis. NECK. *Meth. p. 186. Sp. 43.*

DIAGN. Rami deflexi. Setae semunciales (vix vmquam vnciam aequantes) Operculum aristatum, longitudine capsularum.

A pri-

A priori imprimis ſetis et operculis differt. Sed caueas ne cum *myoſuroide* confundas, cuius rami *alopecuri* habitum ſaepius mentiuntur. In *myoſuroide* autem ſetae longiores, opercula breuiora.

LOC. NAT. In pratis vdis et ſyluis Hercyniae copioſum.

OBS. Orae albae.

Syn. et deſcript. WEIS *Crypt. p. 246.*

150. HYPNVM *glaucum.*

WEIS. *Crypt. p. 208.*

Bryum *glaucum* LINN. *Syſt. veg. p. 797. Sp. 11.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 48. Sp. 11.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 324, n. 1309.* SCHREB. *Spicil. p. 77, n. 739.*

Bryum *(glaucum)* ſurculo ramoſo, fragili, imbricato; foliis lanceolatis; operculo capitulorum roſtrato. NECK. *Meth. p. 226. Sp. 37.*

DIAGN. Surculi craſſi, ex foliis copioſe imbricatis, verſus extremitates ramoſi, ſiccitate glauci. Setae terminales.

LOC. NAT. Ericeta imprimis amat. Copioſum in ericetis M. Rammelsberg, et locis vdis in ſyluis inter Rübeland et Blankenburg, nec non aliis.

OBS. Rarius floret, et per multos annos, tam his in regionibus, quam in Holſaticis, fruſtra flores quaeſiui, quum tandem ſpecimina cum ſetis iunioribus m. Octobris collecta, ex M. Rammelsberg;

berg; et cum setis adultioribus Berolini misit *Cl. Salzwedel*, vbi florens copiose occurrit. In his sequentia video.

Perichaetium ex medio surculorum prominens, constans ex squamis foliis similibus. Setae ex vno perichaetio saepius geminae, vtplurimum semunciales, raro vnciales, ex croceo rubrae, in adultioribus versus capsulas nigricantes. Capsulae ouatae, ex rubro fuscae, inclinatae. Calyptra albicans. Operculum concolor, aristatum, capsulam fere aequans. Orae marginatae, ciliatae.

Syn. et descript. WEIS *Crypt. l. c.*

***** SVRCVLIS TERETIVSCVLIS.

His folia, vndique ad directionem caulis posita, (saltim in iunioribus ramulis) inde surculi teretem seu cylindricam faciem obtinent, magis minusue prouti folia cauli vel magis appressa vel laxiora sunt. Rami longi.

(*Hypnum glaucum*)

151. HYPNVM *curtipendulum.*

LINN. *Syst. veg. p. 801. Sp. 31.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 57. Sp. 31.*

Hypnum (*curtipendulum*) surculo germinante crassiore; operculis capitulorum cuspidatis. NECK. *Meth. p. 177. Sp. 32.*

Hypnum (*curtipendulum*) surculis vagis, teretibus; foliis ouatis, acutis, patulis; perichaetiis longissimis; capsulis pendulis. SCHREB. *Spicil. p. 101. n. 1075.*

DIAGN.

DIAGN. Surculi teretes. Folia ouato-lanceolata, subulata, patula. Perichaetium longissimum. Capsulae ante et post maturitatem erectae, semimaturae nutantes.

LOC. NAT. Habitat in syluosis ad terram et arborum truncos. Copiosum inter Braunlage et Schierke, prope Lauterberg, inter Clausthal et Schluft, et alibi.

Syn. et descr. WEIS *Crypt. p.* 222.

152. HYPNVM *triquetrum*,

LINN. *Syst. veg. p. 800. Sp. 12.* CRANTZ *Instit. T. I. p. 54. Sp. 12.* SCOP. *Carn. 2. p. 337. n. 1329.* SCHREB. *Spic. p. 90. n. 767.*

Hypnum (*triquetrum*) surculo adscendente; ramis supremis recurniusculis, setiferis, infimis reptantibus; foliis imbricato-patulis. NECK. *Meth. p.* 185. *Sp.* 43.

DIAGN. Surculi primarii apex admodum intraffatus, paululum incuruus. Rami attenuati. Folia patula, ad basin longitudinaliter plicata.

A *squarroso maiori* et *minori*, quibus quodammodo simile est, distinguitur: habitu crassiore, foliis plicatis, latioribus, fere triangularibus; a *curtipendulo* setis vncialibus, versus extremitates surculorum tantum erumpentibus.

LOC. NAT. In viis cauis syluarum Hercynicarum vbique frequens.

OBS.

OBS. In iunioribus ramulis folia paululum reflectuntur. Caueas ne disruptos ramulos pro ſtellulis habeas, quarum figuram egregie referunt.

Syn. et deſcr. WEIS *Crypt. p.* 222.

153. HYPNVM *purum.*

LINN. *Syſt. veg. pag.* 801. *Sp.* 32. CRANTZ *Inſt. T. I. p.* 57. *Sp.* 32. SCOP. *Carn.* 2. *T. II. p.* 335. *n.* 1326. SCHREB. *Spic. p.* 94. *n.* 1065.

Hypnum (*purum*) ſurculo adſcendente ramoſo, ſetifero; ramis incuruo ſiſibulatis, teretibus; foliis conniuentibus, obtuſis, mucronatis. NECK. *Meth. p.* 260. *Sp.* 11.

DIAGN. Surculi teretes, ſubpennati, erecti, lubrico-ſplendentes. Folia concaua, per lentem breuiſſimo pilo terminata. Setae vncia longiores.

LOC. NAT. Humida amat. Copioſum legi in rupe die alte Kirche dicta prope Scharzfeld m. Octobris ſetas proferens.

Synon. et deſcript. WEIS *Crypt. p.* 249.

* 154. HYPNVM *illecebrum.*

Hypnum ſurculis ramisque vagis, teretibus, erectiuſculis, obtuſis. LINN. *Spec. Plant. T. II. p.* 1594. *Sp.* 33. *Syſt. veg. p.* 801. *Sp.* 33. CRANTZ *Inſt. T. I. p.* 57. *Sp.* 33. SCHREB. *Spicil. p.* 96. *n.* 1066. NECK. *Del. p.* 482. *Sp.* 32.

Hypnum

* Hypnum foliis ouato-lanceolatis, concavis; ramis teretibus. HALL. *Hist. T. III. p. 29. n. 1744.*

Hypnum (*illecebrum*) surculo vago, procumbente, ramis teretibus, arcte imbricatis; foliis concauis, obtusis, mucrone terminali. NECK. *Meth. p. 178. Sp. 34.*

Hypnum cupressiforme rotundius, vel Illecebrae aemulum. DILL. *Hist. p. 311. T. 40. f. 46.*

Hypnum terrestre, erectum; ramulis teretibus; foliis subrotundis albo virentibus cinctis. DILL. *Cat. Giess. p. 220.* HALL. *Enum. Helu. p. 101. Sp. 17. β.*

Muscus terrestris, surculis Kali aut Illecebri aemulis; foliis subrotundis, squamatim incumbentibus. RAI. *Syn. p. 37. Sp. 6.* VAILL. *Bot. Par. T. 25. f. 7.*

DIAGN. Surculi teretes, vagi, prostrati, splendentes. Folia concaua, saepius tantum acuminata, saepius pilo terminata. Setae vncia multo breuiores.

Differt a priori ramis obtusis, crassioribus, breuioribus, procumbentibus, nec pinnatis.

LOC. NAT. Cum praecedenti, sed rarius occurrit ad terram in rupe die alte Kirche, prope Scharzfeld.

DESCR. Surculi vnciales, biunciales, prostrati, splendentes, ramosi; ramis breuibus, inordinatis, crassiusculis, obtusis, ex luteo-virescenti-

ſcentibus. Folia vndique caulem concolorem ambientia, ouato-oblonga, concaua, pellucida, acuminata, ſaepius pilo terminata, in humida planta laxa, in ſicca adpreſſa. Perichaetium concolor, breue, ex foliis ouato-lanceolatis, pilo terminatis. Setae vix ſemunciales, ex aurantiaco-rubrae. Capſulae pallidae, ouatae, erectae, in adultioribus paululum incuruae. Operculum concolor, acuminatum. Orae ciliatae. Setas m. Octobris profert.

OBS. In figura VAILLANTII folia vti iam pridem adnotauit perill. HALLERVS nimis incurua ſunt, caeterum tamen habitum optime refert.

155. HYPNVM *riparium.*

LINN. *Syſt. veg. p. 801. Sp.* 34. CRANTZ *Inſt. T. I. p. 57. Sp.* 34. SCHREB. *Spicil. p. 94. n.* 1064.

Hypnum *(riparium)* ſurculo ramoſo, tereti, immerſo ſubpennato; foliis patentibus, lanceolatis, alternis; capitulo acuminato. NECK. *Meth. p. 184. Sp.* 41.

DIAGN. Surculi longiſſimi, rami ſubſimplices, obſcure viridescentes. Folia ouata, acuta. Capſulae ouato-rotundatae. Operculum ariſtatum.

Ab *illecebro* et *puro* differt ramis ſimpliciori-bus, longioribus, colore ſaturatiori, capſulis magis rotundatis.

LOC. NAT. Aquas fluentes incolit, tamen etiam quandoque locis ſiccis ſyluoſis occurrit.

Copio-

Copioſiſſimum in aquaeductibus prope portam S. Albani.

OBS. Tam laxe pinnatum? quale figura DILLENII *T. 40. f. 44. C.* exhibet, numquam vidi. Praecedentis mera varietas eſt, quae ſimilibus cum priori locis occurrit.

β. Hypnum aquaticum prolixum, foliis ouatis. DILL. *Hiſt. p. 298. T. 38. f. 32 et T. 85. f. 20.* quae poſterior plantam non florentem exhibet.

Syn. et deſcr. apud WEISSIVM inuenis *Crypt. p. 250.*

156. HYPNVM *caneſcens.*

Bryum *Hypnoides.* LINN. *Syſt. veg. p. 798. Sp. 21.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 50. Sp. 21.* SCHREB. *Spicil. p. 77. n. 1054.* furculo declinato, ramoſo; ramis fertilibus; capitulis ouatis, erectis, operculo cuſpidato. NECK. *Meth. 226. Sp. 38.*

DIAGN. Folia carinata, pilo incano terminata. Operculum ariſtatum. Calyptra apice fuſco-nigricans.

LOC. NAT. Ad terram, ſaxa et arborum truncos, vbique varietates huius in ſyluis Hercynicis occurrunt. Copioſiſſime v. c. in Bructero, verſus Oderhaus, prope Andreasberg, et alibi.

OBS. Polymorpha planta, quae omnibus fere partibus ludit. Surculi variae magnitudinis, erecti,

aut proſtrati, nunc ſimplices, nunc ramoſi, ramis vel breuioribus, copioſis, confertis, vel longioribus et laxioribus. Folia plerumque in humida planta ſuberecta, diſtantia; in ſemihumida reflexa, in ſicca adpreſſa. In aliis tamen in omni ſtatu folia adpreſſa ſunt, ramulis apice tantum ſecundis. Setae ſemuncia breuiores, ad vncialem longitudinem ſaepius aſſurgunt. Duas varietates conſtituit Cel. WEISSIVS (quas vna cum ſynonymis et deſcriptionibus vid. in *Ej. Crypt. p. 211.*) Liceat ſequentem ad has addere.

γ. HYPNVM *caneſcens, ericoides.*

Varietas, quam in paludoſis Bructeri legi, quae imprimis ramis copioſis, breuiſſimis, habitum *Ericae* omnino referentibus differt. Folia cauli magis adpreſſa. Optime conſentit figura DILLENII *T. 47. f. 31.* Bryi hypnoides, ericae facie, capſulis barbatis, alpini. Sed in noſtro folia pilo terminata ſunt.

HVDSONIVS (*Flor. angl. p. 410. Sp. 24.*) omnia *Brya hypnoidea* DILLENII ſub vna ſpecie coniungit. Mallem tamen ſpecies, quae pilo carent, et iſtam ſetis breuiſſimis (HALL. *Hiſt. n.* 1782.) ſeparare.

* 157. HYPNVM *aciculare.*

SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 335. n. 1325.*

Bryum (*aciculare*) antheris erectis, operculo aciformi; foliis erectis, ſubſecundis. LINN. *Spec. Plant. p. 1583. Sp. 14. Syſt. veg. p. 798. Sp. 14.* HVDS. *Flor. angl. p. 407. Sp. 13.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 49. Sp. 14.*

Bryum

Bryum foliis imbricatis, lanceolatis; setis alaribus; capsulis ouatis, aristatis. HALL. *Hist. T. III. p. 47. n. 1820.*

Bryum montanum hemiterophyllum, operculis acutis. DILL. *Hist. p. 366. T. 46. f. 25.*

DIAGN. Folia acuta, carinata. Seta ad basin nigricans, in iunioribus in medio purpurascens, superne virescens, in adultioribus tota nigricans et tortuosa. Calyptra acuta, ex luteo nigricans. Operculum aristatum.

Ab *Hypno canescente*, ad quod alteram nostram varietatem pertinere putat HVDSONIVS (*Flor. angl. p. 410. Sp. 24. n.*) differt defectu pilorum in foliis, ab *Hypno sciuroide* defectu longi aristius perichaetii.

LOC. NAT. Locis humidis saxis adhaeret. Frequens est inter Braunlage et Schierke, rarius reperi in adscensu Bructeri prope Schierke.

DESCR. Surculi conferti vtplurimum, circiter biunciales, etiam triunciales, erecti, per dichotomiam ramosi, mediatenus foliis orbati, inferne tomento fusco adsperſi, mox squamis fuscis setaceis, ad caulem appressis aut reflexis, quae destructorum foliorum reliquiae sunt. Ad apices, vbi foliis tecti sunt surculi, in plerisque recuruantur. Folia lanceolata, acuta, carinata, neruo fusco diuisa, margine integerrima, versus apicem interdum serrulata. Inferiora ex nigro fusca, superiora laete viridia. Ad conuexum surculorum latus folia magis patula sunt, ad internum magis appressa. Seta plerumque lateralis, in iunioribus

etiam terminalis, ex manifesto oritur perichaetio. Ad basin semper nigricans est, in medio purpurascens, superne virescens, in adultioribus vero tota nigrescit et tortuosa fit. Calyptra totam capsulam tegens, ex luteo nigricans, acuta margine integra. Capsula ouato-oblonga, in iunioribus laete virens, mox lutescit, terminata operculo arista albicante ornata. Operculum interdum rubescit, arista tamen semper albicans manet. Dum iuniores setae adsunt, etiam semper vetustiores inuenies, quarum capsulae delapso nunc operculo apertae sunt, oris per lentem serrulato-dentatis. In siccis surculi teretes sunt, foliis arcte appressis.

Sin super saxa hoc *Hypno* tecto, aquae fluunt alienam plane faciem acquirit. Surculi multo longiores euadunt (vti solet in plantis aquas sequentibus) palmarem saepius longitudinem aequant, vnde etiam multo ramosiores fiunt. Maxima pars illorum nuda est, aut tantum squamis setosis adsperſa et ad apices tantum foliis tecti sunt, aut si folia adsunt, vndique laxa, nec cum surculis ad vnum latus flexa sunt. Huc pertinet

β. HYPNVM *aciculare*, *aquaticum*.

Hypnum caulibus teretibus, foliis lanceolatis, imbricatis; capsulis erectis, ouatis aristatis. HALL. *Hist. T. III. p. 37. n. 1781.*

Bryum hypnoides aquaticum, calyptris nigris acutis. DILL. *Hist. p. 367. T. 48. f. 26.* quod nostram plantam optime exprimit.

Bryum hypnoides repens, aquaticum etc. HALL. *Enum. Helu. p. 114. Sp. 26.*

LOC.

LOC. NAT. Frequens haecce varietas occurrit, ad saxa in fluuio die Bremke inter Braunlage et Schierke.

OBS. Icon HALL. *It. Herc. f. 2.* et Muscus aquaticus, pileis acutis. PET. *Mus. n. 74.* VAILL. *Bot. T. 27. f. 16.* intermedium inter vtrumque statum repraesentant. Figura MORISONI *Hist. P. III. p. 626. T. 5. f. 29.* non bona est.

* 158. HYPNVM *stellatum.*

Hypnum flagellare saxatile, capsulis gracilibus. DILL. *Hist. p.* 306. *T.* 39. *f.* 42.

DIAGN. Rami longi, subsimplices, extremitatibus stellati. Folia vndique ad directionem caulis posita, patula. Capsula tenuis, cylindrica.

In sicco statu *Hypno viticuloso* sicco, tam simile est, vt vix dignosci possit. Differt vero foliis in humida planta numquam secundis.

LOC. NAT. Saxosa amare videtur. Mea specimina rariora vero, logi in rupibus prope Rübeland, vbi via tendit versus Ilefeld.

DESCR. Surculi prostrati, bi, tri, quadrivnciales, inferius filiformes et passim ad dimidiam partem vsque foliis annotinis praediti. Rami ad basin e fusco lutei, versus extremitates ex luteo viescentes. Folia vndique caulem ambiunt copiosa, ad angulum acutum dispositа, laxa tamen, lanceolata, obtusa, neruo diuisa. Ramorum extremitates stelligeri sunt, eodem omnino modo, vti in *Mniis auctorum*, foliolis stellularum rotundatis.

Vtplurimum non procul ab apice oriuntur, ex perichaetio laxo, ſetae vnciales, ſesquiunciales, pallidae. Capſulae maturae cylindricae, teniues, ex luteo fuſcae. Orae etiam per lentem integerrimae, prominentibus ex capſula ſquamulis albidis. Calyptram et operculum non vidi.

* 159. HYPNVM *nitens.*

Hypnum ſurculis erectis, ramis breuiſſimis; foliis lanceolatis, adpreſſis, ſtriatis; perichaetiis longiſſimis; capſulis obliquis. SCHREB. *Spicil. p. 92. n. 1062.*

Hypnum ramis compreſſis; foliis pilo ariſtatis, nitentibus; capſulis erectis, operculis conicis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 38. n. 1784.*

Hypnum *(trichoides)* ſurculo erecto, ramis approximatis, ſeta terminali; foliis lanceolatis, ſtriatis; capitulis erectis. NECK. *Meth. p. 161. Sp. 13.*

Hypnum *(trichoides)* ramis erectiuſculis, approximatis, apice ſetiferis. NECK. *Del. p. 483. Sp. 35.*

Hypnum paluſtre, erectum, trichoides; ramulis crebris, luteo et rufo virentibus, glabris. DILL. *Hiſt. p. 393. T. 39. f. 37.*

Muſcus terreſtris, vulgaris BVXB. *Cent. IV. p. 34. T. 62. f. 1.* quoad iconem huius loci eſſe videtur, ſed quae de ſynonymis adfert bonus BVXBAVMIVS huc non pertinent.

DIAGN.

DIAGN. Surculi erecti, cum insigni nitore luteſcentes. Rami breues, compreſſi. Folia lanceolata, longe ſubulata, ſtriata.

A *ſericeo* differt ſurculis erectis, a *myoſuroide luteſcente* foliis non piliferis, ramis breuioribus, compreſſis.

LOC. NAT. In vdis prouenit. Lectum prope Adelipſen in prato vdo ſyluae verſus Vslar ab amico WEISSIO accepi.

DESCR. Surculi erecti, vnciales, biunciales etiam longiores, vel ſimplices, vel ramoſi. Caulis ad vaſa inferne et in adultioribus ſaepius vsque ad ſuperiores ramulos tomento ex fuſco nigricante adſperſus, tecto foliolis ſparſis. Color cum inſigni ſplendore, in iunioribus ex viridi luteſcens, mox luteſcens, in adultioribus ex rufo luteſcens. Rami breues, inſigniter vtplurimum compreſſi, *filicinorum* more, non vndique, ſed ad latera ſurculorum tantum prorumpentes, nunc in toto ſurculo, nunc verſus extremitates tantum. Folia denſa, caulibus adpreſſa, erecta, lanceolata, tenuiter ſubulata, ſtriata, pellucida. Setae tam ex ramulorum apicibus, quam ex illorum alis oriuntur, laete purpureae, variae longitudinis vncialem ſaepius longe excedentes. Perichaetium inſigne, (maximum tamen vix dixerim) ex foliis ſimilibus conflatum. Capſulae ouatae, maturae inclinatae et incuruae, obſcure fuſcae. Operculum breue, conicum, acutiuſculum. Orae integrae. Barba ex capſula prominens ex atro fuſca.

* 160. HYPNVM *trichodes.*

Bryum (*trichoides*) antheris erectiuſculis, ore ciliato, absque annulo; pedunculo

longiſſimo. LINN. *Spec. Plant. p. 1585. Sp. 25. Syſt. veg. p. 798. Sp. 25.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 50. Sp. 25.*

Bryum foliis capillaceis, erectis; ſetis longiſſimis; capſulis ſurſum-lateſcentibus, operculo breuiſſimo. HALL. *Hiſt. T. III. p. 45. n. 1812.*

Bryum *(trichoides)* capitulis operculo decidente ciliatis, exanuatis; primordialibus reconditis. NECK. *Meth. p. 198. Sp. 7.*

Bryum trichoides aureum; capſulis incurvis, obtuſis, in ſetis longis. DILL. *Hiſt. p. 389. T. 49. f. 58.*

DIAGN. Surculi acaules, ſubramoſi, cum inſigni ſplendore. Setae praelongae.

LOC. NAT. Lectum in vdis prope Waacke *Cl.* WEIS dedit.

DESCR. Surculi acaules, ſimplices pariter ac ramoſi, ad ſummum longitudine quinque linearum, inferne ad dimidium vsque tomento fuſco obducti, conſtant ex foliis multis, confertis, ſubulatis, carinatis tamen, in recentioribus ex luteo vireſcentibus, in ſiccioribus ex auteo inſigniter ſplendentibus (fere vti in priori). Setae (in meis ſaltim ſpeciminibus) verſus radices erumpunt, ſesquiunciales et biunciales, croceae, in ſiccis cum inſigni nitore. Tuberculum foliis breuioribus totum veſtitur, et arcte includitur. Capſula pyriformis, paululum inclinata, oris albo dentatis, absque annulo. Operculum breue, obtuſiuſculum.

Alias

Alias plantas habeo, lectas ad rupes prope Altenau, in his, quae aliis interrepunt muſcis, radices longiores et firmiores ſunt; et quaſi cauliferos ſurculos mentiuntur. Surculi ipſi, cum foliis et ſetis, deſcriptioni priori reſpondent, ſed minores ſunt et tenuiores, atque in his ſetas terminales video, in quibus calyptram tenuem, ſtramineam, apice fuſcam, ariſta terminatam obſeruo.

***** FOLIIS SICCITATE CONTORTIS.

* 161. HYPNVM *tortuoſum*,

Hypnum foliis ſubulatis, circinnatis, capſulis cylindricis; longiſſime ciliatis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 38. n. 1787. T. 45. f. 2.*

Bryum *(tortuoſum)* antheris erectis; foliis ſetaceis, imberbibus, ſiccitate retorquentibus. LINN. *Spec. Plant. p. 1583. Sp. 17. Syſt. veg. p. 798. Sp. 15.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 949. Sp. 17.*

Bryum *(tortuoſum)* ſurculo apice laterique capitulifero, operculo cuſpidato; foliis ſetaceis, ſiccitate criſpatis. NECK. *Meth. p. 227. Sp. 39.*

Bryum alpinum crinium criſporum ſimile, capſula barbata. HALL. *Enum. Helu. p. 110. Sp. 10. T. 4. f. 2.*

Bryum cirratum, ſetis et capſulis longioribus. DILL. *Hiſt. p. 377. T. 48. f. 40.*

Muscus alpinus cirrhoſus, ſeu crinium retortorum ad inſtar criſpatus. SCHEVCHZ. *It. alp. II. p. 138. T. 19. f. 5.*

DIAGN. Folia linearia, subulata, duas circiter lineas longa, secunda, siccitate contorta.

LOC. NAT. Lectum prope Goslar a *carissimo* SCHNECKERO accepi.

DESCR. Surculi caespitosi, erecti, versus extremitates paululum recuruati, semunciales ad biunciales, vndique ramosi, interdum etiam simplices. Folia ad alterutrum latus flexa, linearia, subulata, praelonga interdum ad tres lineas, vndulato-denticulata, non nihil concaua, ex luteo viridia, in adultioribus obscurioris coloris, laxius, inferne imprimis, dispositа, ita vt caulis fuscus, in adultioribus ex atro fuscus pelluceat. Quae folia in humida plantа suberecta, aliquamtisper tantum semper flexa, in sicca vero ab apice vario modo contorquentur et crispantur. Setae tam ex summitate, quam ex lateribus surculorum oriuntur solitariae, vnciales et longiores, in iunioribus virides, in adultioribus laete purpureae. Perichaetium ex foliis setosis pallidis conflatum. Capsula lineam excedens, operculo aristato, eiusdem pene longitudinis, in adultioribus, delapso operculo fere bilinearis, lageniformis, aurantiaca. Calyptra ex pallido virescens, apicibus fuscis.

OBS. Specimina, quae ex Heluetia habeo, Hercynicis multo longiora et ramosiora sunt, caeteroquin eadem.

****** SVRCVLIS CONFERTIS.

His surculi ramosissimi, ramis breuibus, confertis, fere intricatis.

162. HYPNVM *rutabulum.*

LINN.

LINN. *Syſt. veg. p. 800. Sp. 13.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 54. Sp. 13.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 336. n. 1328.*

Hypnum *(rutabulum)* ſurculo repente, ramis erectiusculis, teretibus, ſetiferis; foliis concauis; capitulo incuruo obtuſiuſculo. NECK. *Meth. p. 178. Sp. 33.*

Hypnum *(rutabulum)* ramis vagis, erectiuſculis; foliis ouatis, acutis, mucronatis, patulis; operculis conicis. SCHREB. *Spic. p. 90. n. 1057.*

DIAGN. Surculi implexi, ſubrepentes, cum ramis attenuati, teneri. Folia ad caulis directionem poſita, neruo diuiſa, ouata, acuminata.

Differt a *curtipendulo* defectu perichaetii inſignis, a *triquetro* ſurculis tenerioribus, caule non rubro, foliis in directione caulis.

LOC. NAT. Amat ſyluoſa, opaca. Frequens per omnem Hercyniam ad *Abietum* truncos.

OBS. Opercula nunc obtuſa, nunc acuminata, etiam ariſtata, ſaepius in vno eodemque ſpecimine. Ergo ſequentes non ſunt diſtinctae ſpecies.

β. HYPNVM *rutabulum, ruſcifolium.*

Hypnum *(ruſcifolium)* ſurculo repente, ramis imbricatis, ſetiferis; foliis carinatis; capitulo ſubrotundo, incuruo, acuminato. NECK. *Meth. p. 181. Sp. 37.*

Hypnum *(ruſcifolium)* ſurculis teretibus, rectiuſculis; foliis ouatis, obtuſis; antheris ſubnutantibus, ſubinflatis. NECK. *Del. p. 481. Sp. 30.*

Hypnum

Hypnum *ruſciforme* WEIS. *Crypt. p. 225.*

Syn. et deſcr. α et β WEIS *Crypt. p. 224. 225.*

* γ. HYPNVM *rutabulum, cuſpidatum.*

Hypnum foliis ouato-lanceolatis, acutiſſimis, operculis ariſtatis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 26. n. 1731.*

Hypnum vulgatius dentatum, operculis cuſpidatis. DILL. *Hiſt. p. 297. T. 38. f. 30.*

β et γ vix ne quidem varietate differunt. Vtraque ad molendinas prope Waake prouenit. A varietate α. in his quandoque differunt, quod, quum aquas inhabitent, ſurculi magis repentes, minusque inplexi ſint.

163. HYPNVM *myoſuroides.*

DIAGN. Surculi erectiuſculi, aut procumbentes, ramoſiſſimi, ramis attenuatis. Folia paululum concaua, ouato-lanceolata, longe acuminata, aut pilo terminata. Operculum ariſtatum.

LOC. NAT. Ad arbores et ſaxa vbique fere frequens v. c. in Bructeri adſcenſu verſus Schierke, vbi omnes varietates legi. Varietatem γ. b. WILLICHIVS ad arbores in ſyluis prope Geismar legit.

OBS. Maxime variabilis planta, quae foliis magis minusue piliferis, cauli adpreſſis aut laxioribus, capſulis inclinatis aut erectis, operculo brevius aut longius ariſtato ludit. Habitus tamen

ſemper

semper idem est. Iure igitur sequentes plantas, quas pro speciebus habuerunt auctores, iungi posse, equidem existimo, quae etiam vno eodemque loco natali vtplurimum occurrunt.

α. HYPNVM *myosuroides, tenuius.*

Hypnum *myosuroides* LINN. *Syst. veg. p. 801. Sp. 40.* CRANTZ *Instit. T. I. p. 58. Sp. 40.* WEIS *Crypt. p. 259.*

Huius Synonyma et descriptionem vid. in WEIS. *Crypt. l. c.*

* β. HYPNVM *myosuroides, filiforme.*

Hypnum *(filifolium)* surculis vagis, ramosissimis, ramis filiformibus; antheris obliquis. HVDS. *Flor. angl. p. 421. Sp. 12.* LINN. *Syst. veg. p. 801.*

Hypnum *(strigosum)* surculis ramosissimis, ramis rectis, teretibus, multifloris; capsulis erectis. SCHREB. *Spic. p. 97. n. 1070.*

Hypnum sericeum, ramosius et tenuius. capsulis acuminatis. DILL. *Hist. p. 327. T. 42. f. 62.*

Differt a priori ramis tenuioribus, laxioribus; foliis laxioribus, caeteris simillimum.

OBS. Muscus trichoides terrestris, minimus; capitulis recuruis MORIS. *Hist. P. III. S. XV. p. 629. T. 6. f. 16.* huc non pertinet, diversissimi habitus planta, nec ergo huius loci esse videtur. Hypnum foliis peranguſtis, pilo terminatis;

natis; capsulis inclinatis, breuiter aristatis. HALL. *Hist. T. III. p. 31. n. 1755.*

Vberiorem descriptionem habet SCHREB. *l. c.*

* *γ.* HYPNVM *myosuroides, crassius.*

Hypnum (*myosuroides*) surculis ramosissimis, subulatis, incuruatis, vtrinque attenuatis, teretibus. SCHREB. *Spic. p. 97. n. 1069.*

Hypnum (*myosuroides*) surculo germinante crassiore; ramis teretibus, subulatis; primordialibus sparsis. NECK. *Meth. p. 183. Sp. 40.*

Hypnum (*uuiparum*) surculis ramosissimis; ramis teretibus, subulatis; antheris erectis. NECK. *Del. p. 475. Sp. 20.*

Hypnum foliis ouato-lanceolatis, ramis teretibus, compressis, HALL. *Hist. T. III. p. 29. n. 1745.*

Hypnum myosuroides, crassius, capsulis erectis. DILL. *Hist. p. 316. T. 41. f. 50.*

Muscus denticulatus, minor nostras sericeus, capitulis Adianthi. MORIS. *Hist. P. III. p. 626. S. XV. T. 6. f. 35.* VAILL. *Bot. T. 28. f. 4.* certe huc pertinet.

Folia tantum acuminata, rarissime pilo terminata, et in humida planta pariter laxius disposita sunt ac in varietatibus *α* et *δ*.

Conf. NECK. *Del. l. c.*

δ. HYPNVM *myosuroides praelongum.*

Hypnum

Hypnum *(luteſcens)* ſurculis vagis, procumbentibus, foliis ouatis lanceolatis, ſubulatis, ſtriatis, capſulis obliquis. HVDS. *Flor. angl. p. 421. Sp. 13.* SCHREB. *Spic. p. 98. n. 1071.*

Hypnum caulibus teretibus, foliis pilo terminatis; capſulis obliquis, ariſtatis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 31. n. 1753.*

Hypnum *(ramoſum)* ſurculis ramisque ſparſis; foliis ouatis, obtuſis; antheris ſubcernuis. NECK. *Del. p. 483. Sp. 36. Meth. p. 180. Sp. 35. β.*

Hypnum ſericeum, ſurculis longioribus et rectioribus; capſulis incuruis. DILL. *Hiſt. p. 327. T. 42. f. 60.*

Surculi et rami longiores ſunt, inde magis procumbit; ſurculi tamen non repentes ſunt vti in *ſericeo*, ad quod retulit *Cel.* WEISSIVS *(Hypnum ſericeum. praelongum Crypt. p. 255. β.)* a quo etiam differt ramis remotioribus, capſulis cernuis *). Folia longo pilo terminata, vti in varietate α.

164. HYPNVM *ſericeum.*

LINN. *Syſt. veg. pag. 803. Sp. 36.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 57. Sp. 36.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 340. n. 1335.*

Hypnum *ſericeum* α *curuatum* WEIS *Crypt. p. 254.*

Hypnum *(ſericeum)* repens, ramis annotinis, ramoſis, erectis; capitulo erecto, acuminato; primordialibus acuminatis. NECK. *Meth. p. 173. Sp. 27.*

DIAGN.

*) SCHREB. Spic. l. c.

DIAGN. Surculi repentes. Rami breues, simplices, erecti, cum insigni splendore. Folia subulata. Capsulae erectae.

LOC. NAT. Ad arbores et lapides vbique serpit.

Syn. et descript. WEIS *Crypt. l. c.*

165. HYPNVM *velutinum:*

LINN. *Syst. veg. p. 801. Sp. 37.* CRANTZ. *Inst. T. I. p. 58. Sp. 37.*

Hypnum *(velutinum)* reptans, ramis erectis, teretibus, seta duplo breuioribus; capitulis ouatis, subcernuis. NECK. *Meth. p. 172. Sp. 26.*

DIAGN. Surculi repentes. Rami breues, erecti, crassiusculi. Folia in medio ramorum ouata, pilo terminata, in summitutibus filiformia. Capsulae maturae inclinatae.

Vulgaris aeque ac difficilis distinctionis planta, quae *Hypno myosuroidi* proxima; surculis repentibus tamen, ramis breuioribus, magis attenuatis; capsulis maturis semper inclinatis, facile illam distinguas.

LOC. NAT. Ad *Abietum* radices vbique in syluis Hercynicis frequens.

Synon. et descript. WEIS *Crypt. p. 255.*

Huius varietatem *Cel.* NECKER facit.

β. Hypnum (*murale*) surculis repentibus, ramis erectis teretibus, setae subaequalibus; foliis ouatis, obtusis. NECK. *Del. p. 479. Sp. 27. Meth. p. 172 Sp. 26. β.*

Hypnum

Hypnum myoſuroides, breuius et craſſius, capſulis cernuis. DILL. *Hiſt. p. 318. T. 41. f. 52.*

166. HYPNVM *ſerpens.*

Hypnum ſurculis repentibus, ramis filiformibus, foliis oblitteratis. LINN *Syſt. veg. p. 801. Sp. 38.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 58. Sp. 38.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 337. n. 1330.* capſulis cylindraceis, inclinatis; mucrone breuiſſimo, recto. SCHREB. *Spicil. p. 99. n. 760.*

Hypnum (*ſerpens*) ſurculo reptante, ramis aequalibus, filiformibus; capitulo obliquo. NECK. *Meth. p. 175. Sp. 30.*

DIAGN. Ex SCHREBERI *deſcriptione petenda.*

LOC. NAT. Ad ſaxa, arbores, terramque vbique ſerpit. Copioſum tamen imprimis legi inter Braunlage et Schierke.

Huius varietatem eſſe b. WILLICHIVS affirmat

β. Hypnum trichoides ſerpens, capſulis oblongis, in ſetis breuioribus. DILL. *Hiſt. p. 331. T. 42. f. 65.* quod eſt

Hypnum ramis teretibus, breuibus; foliis pilo terminatis; capſulis erectis, ariſtatis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 31. n. 1751.*

Plantam ad manus non habeo, ex deſcriptione tamen perill. HALLERI, diuerſam ab *Hypno ſerpente* eſſe crediderim.

OBS. Muſcus terreſtris omnium minimus, capitulis maiuſculis, oblongis, erectis. RAJ. VAILL. *Bot. T. 28. f. 2. 6. 7. 8.* huc non pertinet, ſed diuerſa omnino ſpecies eſt. (Conf. Hypnum *intricatum* ſurculis repentibus, ramis breuibus; foliis laxis, lanceolatis, acuminatis; capſulis obliquis cernuis; mucrone obliquo SCREB. *Spic. p. 99. n. 1072.*) Hanc in ſyluis Holſatiae copioſiſſimam legi. Etiam prope molam chartaceam Wehndenſem prouenire adnotaui, ſed quum et hanc plantam ad manus non habeam, illam omitto.

BRYVM.

Seta ex tuberculo nudo. Calyptra glabra.

* CAPSVLIS ERECTIS, AVT INCLINATIS; OVATIS VEL OBLONGIS.

167. BRYVM *extinctorium.*

LINN. *Syſt. veg. p. 797. Sp. 5.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 47. Sp. 5.* SCHREB. *Spic. p. 75. n. 1033.*

Bryum *(extinctorium)* ſurculo ſimplici; foliis ouatis, ſupremis patulis; capitulis erectis, ſubcylindricis; calyptra baſi dilatata. NECK. *Meth. p. 207. Sp. 18.*

DIAGN. Folia late lanceolata, acuminata. Seta purpurea. Calyptra ariſtata, recta, ore latiſſimo aequali.

A *BRYO ſubulato*, praeter capſularum ac operculi ſtructuram, calyptramque lateraliter numquam dehiſcentem, differt foliis non ariſtatis.

LOC.

LOC. NAT. Arenosa amat; in rupibus prope Goslar, et ad arcem Regenstein prope Blankenburg vulgaris.

OBS. Varietas altera *maior*, cuius vt et *minoris* synonyma et descriptionem exhibet *Cel.* WEIS. *Crypt. p. 184.* ex foliorum, capsulae et calyptrae peculiaris structura omnino huc pertinet.

Rariorem aliunde lectam prope Goslar communicauit amicissimus D. SCHNECKER.

168. BRYVM *subulatum.*

LINN. *Syst. veg. p. 797. Sp. 6.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 47. Sp. 6.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 320. n. 1304.* SCHREB. *Spic. p. 76. n. 744.*

Bryum *(subulatum)* capitulis subulatis; foliis superioribus acutis, patentibus; primordialibus subradicalibus. NECK. *Meth. p. 194. Sp. 2.*

DIAGN. Folia lanceolata, breuiter aristata. Capsula iunior, calyptra lateraliter dehiscente adhuc praedita, paululum incuruata; matura tenuis, cylindrica, tres lineas aequans, ex fusco purpurea. Operculum aristatum, capsulae immersum, obtusum, lutescens.

LOC. NAT. In muris et ad rupes vulgaris. Sic v. c. legi prope Blankenburg in scopulis arcis Regenstein, in rupibus prope Goslar, Clausthal et alibi.

OBS. Figura VAILLANTII *Tab. 25. f. 8.* quam illustr. SCOPOLI taxat, cum meis speciminibus accurate conuenit. Quum capsulam li-

neam tantum longam esse asserit ill. SCOPOLI, de iuniori loqui videtur, quae tamen in meis speciminibus etiam lineam excedit.

Varietatem omnibus partibus multo minorem, caeteris simillimam, in Holsatia legi ad muros frequentem.

Descript. et Syn. WEIS *Crypt. p. 187.*

169. BRYVM *murale.*

LINN. *Syst. veg. p. 797. Sp. 8.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 48. Sp. 8.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 317. n. 1299,* SCHREB. *Spic. p. 76. n. 142.*

Bryum *(murale)* capitulis oblongis, erectis, cuspidatis; foliis oblongis, concauis, piliferis, NECK. *Meth. p. 176. Sp. 5.*

DIAGN. Surculi breues. Folia ouata, pilo albo terminata.

Ab *HYPNO rurali*, praeter perichaetii defectum differt, surculis densius congestis, brevioribus, colore pallide viridi.

LOC. NAT. Vulgatissima planta, ad saxa, muros et trabes ligneas vbique occurrens v. c. prope Clausthal, Andreasberg, in adscensu Bructeri etc.

Syn. et descr. WEIS *Crypt. p. 189.*

170. BRYVM *purpureum.*

Bryum antheris subnutantibus, axillaribus; caule dichotomo; foliis carinatis. WEIS *Crypt. p. 198.*

Bryum

Bryum (*purpureum*) antheris obliquis, caule dichotomo; axillis pedunculiferis; foliis carinatis. HVDS. *Flor. angl. p. 412. Sp. 27.* (haud vero varietates.)

Bryum (*purpureum*) ſurculo erecto, dichotomo; ſetis axillaribus, capituliferis; capitulis ouatis. NECK. *Meth. p. 211. Sp. 23.*

Bryum (*purpureum*) capſulis inclinatis, ſtriatis; operculo conico; foliis lineari lanceolatis, carinatis; caule ſubdiuiſo. SCHREB. *Spic. p. 79. n. 738.*

Mnium (*purpureum*) caule dichotomo; axillis pedunculiferis; anthera erecta; foliis carinatis. LINN. *Syſt. veg. p. 796. Sp. 6.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 44. Sp. 6.*

DIAGN. Surculi ſubdichotomi. Folia laxa, ita vt caulis pelluceat, in ſiccitate appreſſa, vnde ſurculi filiformes apparent. Setae vnciales. Capſulae maturae inclinatae. Operculum breue acuminatum.

LOC. NAT. Loca ſterilia inueſtit. In ſylvis Hercynicis ad terram, imprimis locis deuſtis, et ad putridos Abietum truncos frequens.

Syn. et deſcr. WEIS *l. c.*

171. BRYVM *vndulatum.*

LINN. *Syſt. veg. p. 797. Sp. 10.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 48. Sp. 10.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 318. n. 1301.*

Bryum (*phyllitidifolium*) ſurculo ſimplici; foliis vndulato-ſerrulatis; primordialibus

dialibus plumosis. NECK. *Meth. p. 203. Sp. 13.*

DIAGN. Folia lanceolata, vndulata, serrulata. Operculum longe rostratum.

Ob folia siccitate contorta a tyronibus et, cum *BRYO tortuoso* LINN. (*Syst. veg. p. 798. Sp. 17.*) et cum *MNIO cirrato* LINN. (*Syst. veg. p. 796. Sp. 8.*) confusum vidi, a quibus foliis longissime differt.

LOC. NAT. Syluosa humida amat. In syluis Hercynicis vbique prouenit.

Synon. et descript. exhibet WEIS *Crypt. p. 196.*

* 172. BRYVM *pellucidum.*

Bryum antheris erectiusculis; foliis recuruis, acutis; caule hirsuto. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1583. Sp. 13. Syst. veg. p. 797.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 48. Sp. 13.*

Bryum foliis ouato-lanceolatis, aristatis, reflexis; capsulis ouatis, obliquis. HALL. *Hist. T. III. p. 47. n. 1824.*

Bryum (*pellucidum*) surculo ferrugineo, tomentoso; foliis recuruatis, nitidis, carinatis; capitulis obliquis, cuspidatis. NECK. *Meth. p. 204. Sp. 14.*

Bryum palustre pellucidum, capsulis foliisque recuruis breuibus. DILL. *Hist. p. 364. T. 47. f. 23.*

DIAGN. Folia laxissima, lanceolata, subundulata, integra. Capsulae ouatae.

A *BRYO*

A *BRYO vndulato* differt capsulis breuioribus, non incuruatis, foliis haud serratis.

LOC. NAT. Habitat in paludosis. Mea specimina legi in paludosis turfosis prope Borkenkrug. Ex Bructero habuit b. WILLICHIVS.

DESCR. Surculi graciles, erecti aut reclinati, vnciales, biunciales, rarius ramosi. Folia lanceolata, carinata, acuta, interdum vndulata, pallide viridia, pellucida, trifariam fere disposita, laxissima et patentia, in semisicca planta saepius reflexa, pellucente vndique caule versus extremitates pallide, ad basin obscure lutescente. Seta pallida, vtplurimum semuncia paulo brevior, tamen etiam vncialis. Capsula ouata, inclinata, viresceus aut fusca. Operculum ex pyramidato aristatum.

Huius jure *varietatem* facit Cel. NECKER.

β. Bryum erectis capitulis breuibus, foliis carinatis. DILL. *Hist. p.* 365. *T.* 46. *f.* 24.

* 173. BRYVM *imberbe.*

Bryum antheris erectis, ore dilatatis; foliis carinatis. HVDS. *Flor. angl. p.* 409. *Sp.* 20. LINN. *Syst. veg. p.* 798.

Bryum foliis lanceolatis, imbricatis; capsulis erectis, cylindricis, aristatis. HALL. *Hist. T. III. p.* 46. *n.* 1814.

Bryum tenue imberbe et pallidum, foliis crebrioribus. DILL. *Hist. p.* 382. *T.* 48. *f.* 46.

DIAGN. Surculi ramosi. Folia linearia, carinata, siccitate contorta. Setae solitariae.

Ab *HYPNO tortuoso* differt omnibus partibus breuioribus, foliis madefactis haud secundis; a Bryo cirrhato, setis et capsulis breuioribus et pluribus. DILL. *Hist. p. 378. T. 48. f. 41.* setis solitariis.

LOC. NAT. Reperi ad terram in rupibus prope Schartzfeld, imprimis circa die alte Kirche, Octobris m., capsulas maturas gerens.

DESCR. Surculi erecti, caespitosi, vnciales ad sesquiunciales, ramosi, tomento fusco, nigricante, foliisque emarcidis longe adspersi, caulisque vsque ad apicem fere simili tomento vtplurimum obductus. Folia vndique caulem ambientia, angustissima, linearia et subulata, carina tamen neruoque diuisa, in emarcidis imprimis distincto, margine saepius vndulata; superiora ex luteo-viridia, in madida planta laxa, et erecta, in sicca contorta, vt surculi teretes exinde emadant. Setae terminales et laterales, semunciales aut paullo longiores, ex croceo purpureae. Capsulae maturae cylindricae, lineam circiter longae, obscure croceae, basi nigricantes.

In iunioribus operculum nonnihil incuruum; DILLENIVS, rubrumque, longe aristatum, et cilia longa, rubra obseruauit Ill. HALLERVS.

OBS. Muscus capillaris, capitulis tenuissimis erectis BVXB. *Ceut. II. p. 6. T. 2. f. 8.* a perill. HALLERO huc refertur. Icon saltim incompleta est, vt exinde vix ac ne vix quidem plantam agnoscere possim.

Valde

Valde affinis est *HYPNO cirrato* (*MNIO cirrato* LINN.) sed nec stellulas, nec perichaetium inuenio, vt in isto. Surculi etiam longiores, quam in *HYPNI cirrati* speciminibus, quae coram habeo, et in Heluetia, et in Holsatia lectis.

Bryum stellare lacustre; foliis rubris, capillaceis. DILL. *Hist. p. 382. T. 48. f. 45.* vix ab hoc diuersum videtur, ab HVDSONIO tamen ad *HYPNVM setaceum* (*MNIVM setaceum* LINN.) refertur.

* 174. BRYVM *vnguiculatum.*

Bryum antheris erectis, oblongis; pedunculis axillaribus; surculis in summitate crassioribus. LINN. *Syst. Veg. p. 798.*

Bryum (*vnguiculatum*) antheris erectis, oblongis; pedunculis axillaribus; foliis erectis, acutis, carinatis. HVDS. *Flor. angl. p. 410. Sp. 22.*

Bryum (*vnguiculatum*) capsulis vrceolatis, operculo longo obliquo; foliis lanceolatis, tortilibus; caulibus erectis. SCHREB. *Spic. p. 78. n. 1037.*

Bryum vnguiculatum et barbatum; surculis in summitate crassioribus. DILL. *Hist. p. 383. T. 48. f. 47.*

DIAGN. Surculi erecti, subramosi. Folia lanceolata, carinata, acuta.

A *priori* differt surculis breuioribus, foliis lanceolatis nec linearibus, breuioribus, margine haud vndulatis, siccitate modice tantum contortis; a *BRYO purpureo*, (*MNIO purpureo* LINN.)

LINN.) cui valde accedit, operculo aristato, capsulis maturis erectis, setis breuioribus, surculis paululum crassioribus, foliis siccitate contortis.

LOC. NAT. Locis arenosis reperi ad rupes die alte Kirche dictos prope Schartzfeld, copiosissimum in Bructero.

DESCR. Surculi erecti, caespitosi, simplices et ramosi, in plerisque dichotomi, vtplurimum semuncíales, interdum fere vnciales, teretiusculi. Folia vndique caulem ambiunt laxa, emarcida, fusca, versus apicem tantum e luteo viridia, vbi et magis congesta sunt, vnde surculi ad extremitates crassiores; caeterum anguste lanceolata sunt, acuta, carinata, absque neruo, margine integerrima, aetate paululum contorta. Setae infra apicem surculorum, interdum etiam ex apice erumpunt, aequalis circiter cum surculis longitudinis, maturae atropurpureae, cum capsulis fuscis, ad basin latioribus et nigricantibus. In iunioribus setae pallidae, aut rubentes. Capsulae virides, operculum aristatum, paululum inclinatum, albicans, quod, quum capsulae saturatiorem colorem acquirunt, ex rubro croceum euadit.

Calyptram non vidi. DILLENIVS descripsit tenuem, primum rectam, pallidam, dein fuscam, incuruam, oblique capsulae adhaerentem.

OBS. Muscus capillaris, capitulis erectis lageniformibus BVXB. *Cent. II. p. 6. T. 2. f. 9.* ab Ill. SCHREBERO et DILLENIO huc refertur. Sed praeter setas nullam conuenientiam video, surculi enim iusto multo breuiores, alienum plane habitum exhibent.

Ill.

Ill. SCHREBER pro varietate habet Bryum vaginiculatum tenuius et stellatum. DILL. *Hist. p.* 385. *T.* 48. *f.* 48. Huius sub nomine DILLENII, mentionem a perill. HALLERO factam video in *Enum. Helu. p.* 111. *Sp.* 13. vbi Goettingae ad saxa frequens esse adnotauit. In *Historia Stirp. Helu.* hanc plantam frustra quaesiui, aliumque etiam muscum antea intellexisse puto, quum figura VAILLANTII (*T.* 24. *f.* 8.) tamquam bona citetur, quae cum nostra planta nequaquam conuenit.

* 175. BRYVM *tenue.*

Bryum foliis lanceolatis, laxe imbricatis; capsulis cylindricis, aristatis. HALL. *Hist. T. III. p.* 46. *n.* 1817.

Bryum tenue barbatum, foliis angustioribus et rarioribus. DILL. *Hist. p.* 385. *T.* 48. *f.* 49.

Bryum peranguſtis foliis, et cauliculis foliis rarioribus cinctis; capitulis erectis e surculis annotinis egredientibus. DILL. *Cat. p.* 225. HALL. *Enum. Helu. p.* 111. *Sp.* 16.

DIAGN. Surculi erecti, caespitosi, tenues, subfurcati. Folia alterna, rara. Operculum longe aristatum.

A *BRYO purpureo* differt operculo aristato. *LOC. NAT.* Lectum Clausthaliae ad fodinam Dorotheae misit *Cl.* SALZWEDEL.

DESCR. Surculi caespitosi, erecti, semunciales et longiores, iuniores simplices, adultiores in medio

medio diuisi, vtplurimum furcati, vsque ad ramorum ortum foliis emarcidis obsiti, tenues, in siccis imprimis, filiformes. Folia lanceolato-linearia, acuminata, breuia, paululum concaua, pellucida, neruo diuisa, cauli adpressa, alterna, rara, ita vt caulis rubicundus vndique pelluceat. Setae ex axillis ramulorum, longitudine circiter surculorum, rubicundae, mox purpureae. Capsulae erectae, oblongo-cylindricae, virideſcentes, aetate ex viridi fuscae. Operculum aristatum, capsulam longitudine fere aequans, albicans, aetate laete purpureum inflexum.

Floret m. Octobris.

* 176. BRYVM *flexuosum.*

Bryum antheris erectis; foliis setaceis; pedunculis flexuosis. LINN. *Spec. Plant. p. 1583. Sp. 15. Syst. veg. p. 798. Sp. 15.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 49. Sp. 15.* NECK. *Del. p. 456. Sp. 11.*

Bryum foliis capillaceis; capsulis cylindricis; operculis aristatis. HALL. *Hist. T. III. p. 44. n. 1804.*

Bryum *(flexuosum)* surculo erecto; foliis setaceis; stipite flexuoso, subsolitario; capitulis erectis, cuspidatis. NECK. *Meth. p. 205. Sp. 16.*

Bryum pilosum molle setis intortis. DILL. *Hist. p. 273. T. 47. f. 33.*

Bryum trichoides, capitulis erectis, pedunculis intortis, tenuibus, virentibus. DILL. *Cat. Gieſſ. p. 225.* HALL. *Enum. p. 109. Sp. 5.*

DIAGN.

DIAGN. Surculi erecti, subramosi, nonnihil reclinati aut flexuosi. Folia admodum laxa, setaceo-subulata, secunda.

LOC. NAT. In syluis ad terram et arborum putridos truncos occurrit. Mea specimina lecta in sylua Wehndensi a *Cl.* WEISSIO accepi.

DESCR. Surculi in densos caespites congesti, erecti, vtplurimum vnciales (tamen a semuncíali longitudine, biuncialem interdum excedunt) nunc flexuosi, nunc tantum reclinati. Folia secunda, laxissima, versus summitates magis congesta et densiora, in siccitate adpressa, in inferiori surculorum parte fusca et emarcida, in superiori ex luteo viridia, cum aliquo splendore, (imprimis in siccioribus notabili) longe et tenuiter subulata, vt fere setosa sint, ad insertionem tamen carinata, integerrima, neruo carentia, in siccis setosa.

Setas non vidi, quas *perill.* HALLERVS *(Hist. l. c.)* describit flauas, vnciales, ex supremo caulículo, saepe intortas, etiam serpentinas, de vagina conica et acuta surgentes; calyptra ex luteo pallente, acutissima; capsula erecta, cylindrica, ciliata; operculo longo, aristato.

OBS. Setas ex vaginis surgentes descripsit *perill.* HALLERVS. Ergo ad *Hypna* referri deberet nostra planta. Quum vero ipse florentem haud examinauerim, et *perill.* HALLERVS istam inter *Brya* reliquerit, ab illis separare nolui.

177. BRYVM *truncatulum.*

LINN. *Syst. veg. p. 798. Sp. 18.* CRANTZ. *Inst. T. I. p. 49. Sp. 18.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 316. n. 1298.*

Bryum

Bryum *(truncatulum)* capitulis erectis, subrotundis: operculo mucronato abscedente truncatis, exanulatis. NECK. *Meth. p. 195. Sp. 4.*

DIAGN. Folia ouato-lanceolata, pilo terminata. Seta purpurascens, semuncia breuior. Capsula ouata, fuscescens, delapso operculo absque annulo late hians.

LOC. NAT. In viis cauis et ad rupes vbique in syluis Hercynicis frequens.

Synon. et descript. WEIS. *Crypt. p. 191.*

178. BRYVM *paludosum.*

Bryum acaulon, foliis setaceis, antheris obtusissimis, patulis. LINN. *Syst. veg. p. 798. Sp. 20.* CRANTZ *Instit. T. I. p. 49. Sp. 20.*

Bryum *(paludosum)* foliis setaceis, primordialibus solitariis. NECK. *Meth. p. 195. Sp. 3.*

DIAGN. Surculi subacaules. Folia setacea. Seta lineis duabus vix longior, pallida. Operculum rubrum, terminatum arista longa, pallida.

LOC. NAT. Copiosum reperi ad rupes alte Kirche dictos prope Schartzfeld.

OBS. Et huius et *BRYI viridulI* LINN. specimina copiosa in variis regionibus collecta, coram habeo. Ex his, quicquid etiam auctores adferant, varietates tantum vtraque esse confirmor. Seta, capsula ad basin rubescens, operculum omnino,

no, si eadem aetate illa conspicias, eadem sunt. In *viridulo* surculi paulo altiores, et folia longiora, hinc in siccitate magis contorta adparent, quae, qui separare mallet, pro distinctionis notis assumere posset. Ego vero praeter paulo diuersam omnium partium magnitudinem, nullum video discrimen. Erit ergo *BRYI paludosi* varietas:

β. BRYVM *paludosum, viridulum.*

Bryum *(viridulum)* antheris erectis ouatis; foliis lanceolatis, acuminatis, imbricato-patulis. LINN. *Syst. veg. p. 798. Sp. 19.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 49. Sp. 19.* SCOP. *Carn. 2. p. 316. n. 1297.*

Bryum *(viridulum)* surculo simpliciusculo; foliis linearibus, exsiccatione crispis; capitulis erectis, operculo subrostrato tectis. NECK. *Meth. p. 207. Sp. 17.*

Vtriusque Synon. et descript. exhibet WEIS. *Crypt. p. 193, 194.*

** CAPSVLIS NVTANTIBVS.

Capsulae seminaturae pendulae sunt. Iuniores erectae, adultiores vtplurimum seminutantes.

Mnia LINN. pleraque, huc pertinent.

179. BRYVM *argenteum.*

LINN. *Syst. veg. p. 798. Sp. 27.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 51. Sp. 27.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 325. n. 1310.* SCHREB. *Spic. p. 82. n. 749.*

Bryum

Bryum (*argenteum*) ſurculo nitido, arcte imbricato; foliis ouato concauis; capitulis nutantibus; ſtipite ſubradicali. NECK. *Meth. p. 201. Sp. 10.*

DIAGN. Surculi conferti, teretes, nitentes. Folia ouato-lanceolata, pilo terminata, arctiſſime imbricata.

LOC. NAT. Ad rupes Hercyniae vulgatiſſimum, cum *varietate viridula.* Rarius apud nos floret. Florens tamen copioſum reperi ante portam Wehndenſem, in coemiterio.

OBS. Aliam notabilem omnino *varietatem* ill. SCOPOLI adhuc obſeruauit, ſetis ſurculo non longioribus, capſulis longis (ad tres lineas) cylindraceis, foliis imis muticis, ſuperioribus ariſtula molli et breui terminatis.

Synon. et deſcript. noſtrae plantae WEIS *Crypt. p. 199.*

180. BRYVM *puluinatum.*

LINN. *Syſt. veg. p. 798. Sp. 28.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 51. Sp. 28.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 326. n. 1312.*

Bryum (*puluinatum*) ſurculo caeſpitoſo, aggregato, foliis piliferis, ſetaceis; capitulis ouatis, inter folia ſepultis. NECK. *Meth. p. 200. Sp. 9.*

DIAGN. Folia longo et albo pilo terminata. Capſulae ellipticae, in ſenili aetate lineatae reflectuntur et ſeſe immergunt intra folia. SCOP.

LOC.

LOC. NAT. Ad muros, saxa et parietes, ligneos Hercyniae vbiuis fere occurrit.

Syn. et descr. WEIS *Crypt. p. 201.*

181. BRYVM *hygrometricum.*

SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 320. n. 1303.* Bryum *(hygrometricum)* anthera nutante, calyptra reflexa tetragona. HVDS. *Flor. angl. p. 416. Sp. 40.*

Bryum *(hygrometricum)* acaule; capitulis turbinatis, obtusis, siccitate tetragonis, seta arcuata; primordialibus aggregatis. NECK. *Meth. p. 221. Sp. 32.*

Mnium *(hygrometricum)* acaule, anthera nutante; calyptra reflexa, tetragona. LINN. *Syst. veg. p. 796. Sp. 5.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 44. Sp. 5.* WEIS *Crypt. p. 147.*

DIAGN. Folia in bulbum connesta. Calyptra quadrata aut ouata, rostro longo donata, cuius apex obscure purpurascens seta terminatur caduca. Capsulae maturiores nutantes, obouatae.

LOC. NAT. In syluarum Hercynicarum locis deustis, pratis humidis, rupibus frequens.

OBS. Setam calyptrae rostrum terminantem auctorum icones negligant; in adultioribus haecce delabitur. Stellulas numquam vidi, nec ill. SCOPOLI, nec alii illas viderunt.

Synon. et descr. WEIS *Crypt. p. 147.*

782. BRYVM *aureum.*

Bryum antheris pendulis, turbinatis; ſtipite filiformi; foliis enſiformibus, nitidis. HVDS. *Flor. angl. p. 412. Sp. 28.*

Bryum *(aureum)* foliis capillaceis; capſulis pyriformibus, pendulis, operculo breuiſſimo, rotundato. SCHREB. *Spic. p. 81. n. 1042.*

Bryum *(rupeum)* ſubcaule, capitulis turbinatis, cernuis; ſeta flexuoſa, operculis obtuſis. NECK. *Meth. p. 220. Sp. 31.*

Mnium *(pyriforme)* antheris pendulis, turbinatis; ſtipite filiformi; floribus femineis ſetiferis. LINN. *Syſt. veg. p. 796. Sp. 12.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 45. Sp. 12.* WEIS *Crypt. p. 152.*

DIAGN. Folia capillacea. Capſulae pyriformes, nutantes, maturae cum ſetis ſaturate croceae, oris albis.

LOC. NAT. Loca ſaxoſa amat. Abundat in M. Radauerberg prope Harzburg.

Synon. et deſcript. WEIS *Crypt. p. 152.*

OBS. Aliam *varietatem* in M. Rammelsberg prope Goslar copioſe lectam Cl. SCHNECKER communicauit. Haec non niſi differt partibus omnibus maioribus, capſulis gracilioribus, ſurculis ſtellatis longioribus, tenuioribus, foliisque rarioribus et breuioribus veſtitis. Ex deſcriptione et icone omnino eſt *Bryum* DILL. *T. 50. f. 61.* quod *BRYVM nutans* SCHREBERI. Erit ergo praecedentis *varietas:*

β. BRY-

β. BRYVM *aureum, maius.*

Bryum *(nutans)* foliis lanceolatis, ſubulatis; capſulis vrceolatis cernuis; operculo conico. SCHREB. *Spic. p. 81. n. 1043.*

Bryum trichoides laete virens, capitulis cernuis, oblongis. DILL. *Hiſt. p. 392. T. 50. f. 61.*

183. BRYVM *hornum.*

Bryum antheris oblongis, nutantibus; pedunculo curuato; foliis ouatis, margine ſcabris. HVDS. *Flor. angl. p. 415. Sp. 38.* SCHREB. *Spic. p. 83. n. 1046.*

Bryum *(hornum)* ſurculo capitulifero, ramoſiuſculo, ſtellifero ſimplici; primordialibus plumuloſis. NECK. *Meth. p. 215. Sp. 26.*

Mnium *(hornum)* antheris pendulis; pedunculo curuato; ſurculo ſimplici; foliolis margine ſcabris. LINN. *Syſt. veg. p. 796. Sp. 10.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 44. Sp. 10.* WEIS *Crypt. p. 149.*

DIAGN. Surculi ſubſimplices, erecti. Folia ouato-lanceolata, margine per lentem aequaliter ſerrato, aetate purpureo.

LOC. NAT. Locis aquoſis in ſyluis Hercynicis vbique abundat v. c. verſus Borkenkrug im Schneidwaſſer, prope Oderhaus, Schluft, inter Braunlage et Schierke, ad fluuium die Bremke et alibi.

Synon. et descript. WEIS *Crypt. p. 149.*

OBS: MNIVM hornum, integrifolium WEISSII *(Crypt. p. 150.)* quod etiam inter muscos in syluis Hercynitis lectos reperio, diuersa mihi a nostro speeies videtur. Sed, quum et mihi setae deficiant, rem diiudicare nolo.

184. BRYVM *punctatum.*

SCHREB. *Spic. p. 85. n. 755.*

Bryum *(serpillifolium)* surculo simpliciusculo; capitulis subaggregatis, cernuis; foliis obouatis, obtusis, nitidis, integerrimis. NECK. *Meth. p. 216. Sp. 27.*

Mnium *(serpillifolium, punctatum)* pedunculis aggregatis; foliis obouatis, integerrimis, obtusis, punctatis. LINN. *Syst. veg. p. 796. Sp. 14. a.* CRANTZ *Inst. p. 45. Sp. 14.* WEIS *Crypt. p. 153.*

DIAGN. Surculi steriles repentes; florigeri erecti. Folia varia, rotundata, ouata, obouata, obtusa, aut obtusa cum acumine, per lentem reticulatim punctata integerrima.

LOC. NAT. Iisdem cum *priori* occurrit locis. Tamen etiam syluosa incolit, et in montes ascendit, sic v. c. reperitur inter Clausthal et Schluft, in M. Radauerberg.

OBS. Ill. LINNAEVS, quem alii sequuti sunt, hoc et tria sequentia pro varietatibus habet. Separauit ill. HALLERVS, quocum meae observationes, et his in regionibus, et in Holsatia institutae

tutae, consentiunt. Nec difficilis distinctionis notae, eaeque constantes sunt.

Synon. et descr. WEIS *Crypt. p.* 153.

185. BRYVM *cuspidatum.*

SCHREB. *Spic. p. 84. n. 1049.*

Bryum *(polymorphum)* surculo reptante pennato, capitulifero erecto, simplici; foliis mucronatis, serratis, NECK. *Meth. p. 218. Sp. 29.*

Mnium *(serpillifolium, cuspidatum)* pedunculis aggregatis; foliis alternis, acutis, serratis. LINN. *Syst. veg. p. 796. Sp. 14. β.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 43. Sp. 14. β.* WEIS *Crypt. p. 155.*

DIAGN. Surculi steriles repentes, florigeri erecti. Folia ouato-lanceolata, (rarius ouata) acuminata, per lentem denticulato-serrata.

Cum *priori* conuenit surculis; differt foliis serratis, multo obscurius punctatis.

LOC. NAT. Idem cum prioribus. Copiosa imprimis specimina ex M. Radauerberg attuli.

OBS. Folia satis euidenter decurrentia, quod in *priori* haud obseruaui. Setae in *cuspidato* saepius aggregatae, in *punctato* solitariae, quae tamen constans nota nulla est.

Synon. et descript. WEIS. *Crypt. p. 155.*

186. BRYVM *dendroides.*

Bryum surculo capitulato, stellatoque, erecto,

erecto, ramoso; primordialibus plumulosis. NECK. *Meth. p.* 218. *Sp.* 28.

Bryum *ligulatum.* SCHREB. *Spic. p.* 84. *n.* 753.

Mnium (*serpillifolium*, *undulatum*) pedunculis aggregatis; foliis oblongis undulatis. LINN. *Syst. veg. p.* 796. *Sp.* 14. *δ.* CRANTZ *Inst. T. I. p.* 45. *Sp.* 14. *δ.*

Mnium (*undulatum*) surculis erectis, ramis fasciculatis; foliolis ellipticis, undulatis, argute dentatis; pedunculis aggregatis. WEIS *Crypt. p.* 158.

DIAGN. Surculi steriles repentes, florigeri erecti, dendroidei. Folia lanceolata, obtusa cum acumine, undulata, per lentem serrulata. Setae aggregatae.

LOC. NAT. Nil frequentius in omnibus sylvis Hercynicis.

Syn. et descr. WEIS *l. c.*

187. BRYUM *roseum.*

SCHREB. *Spic. p.* 84. *n.* 1048.

Bryum (*roseum*) surculo capitulifero acauli, repetito stellato; foliis ouatis, lanceolatis, patulis, mucronatis. NECK. *Meth. p.* 219. *Sp.* 30.

Mnium (*serpillifolium*, *proliferum*) pedunculis aggregatis; foliis rosaceo-congestis, lanceolatis, acutis. LINN. *Syst. veg. p.* 796. *Sp.* 14. *γ.* CRANTZ *Inst. T. I. p.* 44. *Sp.* 14. *γ.*

Mnium

Mnium (*roſeum*) ſurculis ſimplicibus et proliferis; foliis roſaceo-congeſtis, lanceolatis, acutis, tenuiſſime argute crenulatis; pedunculis aggregatis. WEIS *Crypt. p.* 257.

DIAGN. Surculi congeſti, omnes erecti, ſimplices, ſaepius proliferi. Folia ad extremitates roſaceo-congeſta, acuta, ouato-lanceolata et ouata, per lentem punctata et tenuiſſime ſerrulata.

LOC. NAT. Habitat in pratis vdis et torfoſis. Rarius legi in Bructero, et in pratis ſylvoſis inter Blankenburg et Wernigerode.

OBS. Setae nunc ſolitariae ſunt, nunc aggregatae.

Syn. et deſcript. WEIS *l. c.*

*** CAPSVLIS GLOBOSIS, SVBROTVNDIS, STRIATIS.

188. BRYVM *pomiforme.*

LINN. *Syſt. veg. p. 797. Sp. 3.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 47. Sp. 3.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 322. n. 1307.* (excluſa varietate prima).

Bryum (*pomiforme*) ſurculo erecto, capitulis lateralibus, globoſis. NECK. *Meth. p. 208. Sp. 19.*

DIAGN. Folia lanceolato-capillaria. Seta ad minimum ſemuncialis: Capſula ſphaerica, adultior ſtriata.

A Bryo foliis mollibus ſubulatis, ſetis breuiſſimis, a laribus; capſulis ouatis. HALL. *Hiſt.*

T. III. p. 43. n. 1802. T. 46. f. 8. differt, quod in isto sint surculi duplo vel triplo longiores, bi, triunciales; folia laxiora, longiora, vere capillaria; setae semuncia multo breuiores, capsulae ouatae.

LOC. NAT. Ad terram rupes, et arborum truncos vulgatissimum in syluis Hercynicis.

Synon. et descript. WEIS *Crypt. p.* 181.

Huius nunc etiam consentiente *perill.* HALLERO notabilis *varietas* est

β. BRYVM *pomiforme, maius.*

Bryum alpinum viridissimum, et maius capitulis crassissimis. HALL. *Enum. Helu. p. 109. Sp. 2. T. 3. f. 7.*

Bryum viridissimis foliis, rectissimis; capitulis maximis; caulículo laete albo. HALL. *Hist. T. III. n. 1803. p. 44. Tab. 46. f. 7.* (NECK. *Tab. 45. f. 7.* quae ex errore typographico citatur.)

189. BRYVM *fontanum.*

Bryum antheris obliquis, subrotundis; caule simplici, geniculis inflexo. HVDS. *Flor. angl. p. 404. Sp. 3.* SCHREB. *Spicil. p. 75. n. 1032.*

Bryum (*fontanum*) surculo simplici tereti; capitulis obliquis, subrotundis. NECK. *Meth. p. 209. Sp. 21.*

Mnium (*fontanum*) caule simplici, geniculis inflexo. LINN. *Syst. veg. p. 796. Sp. 2.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 42. Sp. 2.*

Sp. 2. SCOP. *Carn.* 2. *T. II. p.* 312. *n.* 1294. WEIS *Crypt. p.* 145.

DIAGN. Surculi simplices, aut ramosi, erecti, teretes; foliis adpressis.

LOC. NAT. Locorum paludosorum et vliginosorum incola. Frequens in viis cauis syluarum Hercynicarum v. c. prope Oderhaus; copiosissimum in paludibus turfosis Bructeri.

OBS. Humida planta folia secunda habet. Florentem m. Maii reperi.

Synon. et descr. WEIS *Crypt. p.* 145.

**** CAPSVLIS ERECTIS, GLOBVLIS FOLIACEO-PVLVERVLENTIS IN DISTINCTIS PLANTIS, AVT RAMIS.

190. BRYVM *diaphanum.*

Mnium (*pellucidum*) caule simplici; foliis ouatis. LINN. *Syst. veg. p.* 796. *Sp.* 1. CRANTZ *Inst. T. I. p.* 43. *Sp.* 1. SCHMIED. *Icon. I. p.* 13. *T.* 3. WEIS. *Crypt. p.* 161.

Mnium (*pellucidum*) capitulo Sphaerophylloque distincto; surculis simplicibus; primordialibus plumulosis. NECK. *Meth. p.* 233. *Sp.* 1.

DIAGN. Folia ouato-lanceolata, nervo mucronata. Operculum aetate bifidum. Sphaerocephala sessilia, aut in setis foliolis obsitis.

LOC. NAT. Habitat ad terram et arborum putridos truncos. In truncis Abietum per omnem

Hercyniam frequens, imprimis inter Braunlage et Schierke, et prope Clausthal.

OBS. Surculi non semper simplices, alii capsuliferi, alii stelligeri, alii sphaerocephali. Capsulas m. Octobris gerit.

Synon. et descr. WEIS *l. c.*

191. BRYVM *androgynum.*

Mnium (*androgynum*) caule ramoso, androgynum. LINN. *Syst. veg. p. 796. Sp. 4.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 43. Sp. 4.* WEIS *Crypt. p. 163.*

Mnium (*angustifolium*) capitulo puluerifero ouato, glabro; foliato globoso, surculis simplicibus, ramosisque. NECK. *Meth. p. 234. Sp. 2.*

DIAGN. Surculi subramosi. Folia lanceolata. Sphaerocephala in setis nudis.

LOC. NAT. Similibus cum priori locis occurrit, copiosissimum imprimis tamen ad rupes prope Altenau legi, m. Octobris vtrasque setas proferens.

Synon. et descript. WEIS *Crypt. p. 163.*

192. BRYVM *palustre.*

Bryum surculo erecto, dichotomo; stipitibus axillaribus capituliferis; capsulis obliquis. NECK. *Meth. p. 210. Sp. 22.*

Mnium (*palustre*) caule dichotomo; foliis subulatis. LINN. *Syst. veg. p. 796. Sp. 3.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 43. Sp. 3.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 313. n. 1295.* WEIS *Crypt. p. 165.*

DIAGN.

DIAGN. Surculi erecti, tomento fusco copiose obsiti, furcati, (interdum simplices) Folia lanceolata, longa (lineam circiter) pellucida, neruo diuisa.

LOC. NAT. Loca paludosa sectatur. In Bructeri paludibus non rarum.

OBS. Setas in meis speciminibus video terminales et laterales, vncia vix longiores (ferè biunciales DILLENIVS habet) pallidas cum admixto flauo, in adultioribus rubicundo. Calyptrae longitudine foliorum attenuatae, versus apicem ex rubicundo saturate croceae, apice nigricante.

Vix credo, *MNIVM (ramosum)* caule ramoso erecto, pedunculis femineis axillaribus LINN. *Syst. veg. p. 796.* a *BRYO palustri* vere differre.

PHASCVM.

Capsula subsessilis. Operculum nullum. Calyptra caduca.

Conf. SCHREB. *De Phasco* *).

OBS. Operculi defectus omnino distinctissimam notam exhibet, qua PHASCVM ab aliis generibus separatur. BRYIS ergo hae plantulae associari non possunt, nec SPHAGNIS.

Peculiaris accedit habitus, (in indigenis saltem plantis) ex surculis subacaulibus, capsula subsessili,

*) Elegantissimum ex monographicis scriptis: J. C. D. SCHREBER *De Phasco observationes, quibus hoc genus muscorum vindicatur atque illustratur.* c. Tab. aen. Lipsi. 1770.

sessili, hinc in foliis recondita; ortus. Duae enim species LINNEANAE, PHASCVM puto *(pedunculatum)* acaule, anthera pedunculata LINN. *Syst. veg. p.* 794. et PHASCVM *(caulescens)* caulescens erectum, foliis lanceolatis alternis LINN. *Syst. veg. p.* 794. *Sp.* 3. nequaquam huius loci sunt. Character enim in his plantis diuersissimus, capsula operculata, oris ciliatis. Ab his tamen *ill.* LINNAEVS PHASCI sui characterem desumsit, quem ex LINNAEANIS scriptis multi alii auctores in sua transtulerunt, et ad nostras plantas applicarunt, neglecto naturae ipsius scrutinio. In PHASCO *pedunculato* et *caulescente* LINN. calyptra obseruata equidem non fuit, sed ex habitu et caeteris characteribus ista vera esse BRYA vix dubium est.

SPHAGNVM *(alpinum)* subramosum erectum LINN. *Syst. veg. p.* 794. *Sp.* 2. huius generis esse videtur. DILLENIVS enim, se nullum in isto reperire potuisse, adnotauit. In meis speciminibus, quae ex Islandia habeo, capsulas desidero, nec ergo ex propria obseruatione rem diiudicare possum. Sin hoc vera PHASCI species esset, ista habitus ille peculiaris, PHASCO alias proprius, cuius supra mentionem feci, macularetur.

* 193. PHASCVM *serratum.*

Phascum acaule, foliis ouato-lanceolatis, planis, serratis, erectis. SCHREB. *de Phasco p.* 9. *Sp.* 5. *Tab.* 2. *Spic. pag.* 73. *n.* 1030.

DIAGN. Acaule. Folia per lentem serrata. Capsulae aetate globulosae, laete purpureae.

LOC.

LOC. NAT. Mea specimina legi in via cauа versus Auerhahn. Memini etiam prope Pöhle hanc speciem vidisse.

OBS. Inuenit primum ill. SCHREBERVS, qui et in citato scripto fusius istud descripsit. In meis capitula magis globosa video, quae in SCHREBERIANIS iconibus ouata. Caeterum etiam nudo oculo haec species, si aetate profectior est, facile ab aliis distinguitur, oculosque colore capsularum intense purpureo allicit. In reliquis speciebus istum colorem haud obseruaui.

194. PHASCVM *cuspidatum.*

Phascum cauleſcens; foliis ouatis, cuspidatis, patulis, terminalibus erectis, conniuentibus. SCHREB. *de Phasco p. 8. Sp. 3. T. 1. fig. 1 et 2. Spic. p. 72. n. 780.*

Phascum *acaulon* α. LINN. *Spec. Plant. p. 1570. Sp. 1.* WEIS *Crypt. p. 266.*

Phascum *(acaulon)* acaule, anthera sessili; foliis ouatis imbricatis. HVDS. *Flor. angl. p. 396. Sp. 1. α.*

Bryum *(bulbiforme)* capitulis globosis, nitidis; calyptra basi dilatata; primordialibus bulbosis. NECK. *Meth. p. 230. Sp. 42.*

Muscus trichoides acaulos minor latifolius PET. *Gaz. p. 126. T. 95. f. 14.* VAILL. *Bot. T. 27. f. 2.*

DIAGN. Cauleſcens: Folia inferiora per lentem mutica, ſuperiora in acumen producta.

LOC.

LOC. NAT. Occurrit in syluis prope Kerstlingeroderfeld versus pratum istud, quo *GENTIANA et Amarella* abundat.

OBS. Nomen cum *ill.* SCHREBERO mutare debui, quum planta vere caulescens sit. Hinc auctorum nomina, quae tamen ad hanc speciem retulerunt, sequenti potius conueniunt.

Miror ab auctoribus, etiam a LINNAEO iconem OEDERI *Flor. Dan. T. 249. f. 3.* huc relatum fuisse, quum manifeste ad nostram plantam non pertineat, sed ad BVXBAVMIAM *foliosam.*

Plura quaeras in SCHREBERI scripto. *Cel.* WEISSII descriptio *p.* 267. data, etiam optime quadrat.

195. PHASCVM *muticum.*

Phascum acaule; foliis ouatis, muticis, concauis, conniuentibus. SCHREB. *de Phasco p. 8. Sp. 4. T. 1. f. 11. 12. Spic. p. 72. n. 779.*

Phascum *acaulon* β. LINN. *Spec. Plant. p. 1570. Sp. 1.* HVDS. *Flor. angl. p. 396. Sp. 1.* WEIS *Crypt. p. 267.*

DIAGN. Acaule. Folia imbricata, per lentem omnia mutica.

Differt a *priori*, quod acaule sit, nec folia patula habeat, sed omnia conniuentia, quae etiam vtplurimum latiora sunt.

LOC. NAT. Ad fossulas, quae syluam Wehndensem ambiunt, verno tempore non rarum.

OBS.

OBS. Omnes fere auctores *prioris* fecerunt varietatem, sed ex adlatis notis insigniter differt. Synonymum HVDSONIS sub *priori* adlatum huius characterem bene exprimit, et, vt sub *cuspidato* iam iam adnotaui, cum caeteris auctorum Synonymis, potius ad hanc speciem pertinet. Vlteriorem descriptionem *ill.* SCHREBERVS l. c. dedit.

195. PHASCVM *subulatum.*

Phascum caulescens, foliis lanceolato-linearibus, patulis. SCREBER. *de Phasco p. 8. Sp. 1. Spicil. p. 71. n. 777.*

Phascum *subulatum.* LINN. *Syst. veg. p. 794. Sp. 2.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 41. Sp. 2.* WEIS *Crypt. p. 268.*

Bryum (*ericetorum*) capitulis subsessilibus, ouoideis, calyptra conica; primordialibus plumulosis. NECK. *Meth. p. 231. Sp. 43.*

Muscus trichoides minor acaulis, capillaceis foliis. PET. *Mus. p. 87.* VAILL. *Bot. p. 128. T. 29. f. 4.*

DIAGN. Folia lanceolato-linearia.

LOC. NAT. Reperi iisdem locis cum priori, et prope Lütgelengden versus montem Hengstberg.

Descript. et plura Synon. habet WEIS *Crypt. p. 268.* fusiorem descriptionem SCHREBER l. c.

Phascum (*piliferum*) caulescens, foliis oblongis piliferis, erectis. SCHREB. *de Phasco p. 8. Sp. 2. T. I. f. 6. 7.* quod Halae Saxonum

num reperi, huc vsque frustra circa Goettingam quaesiui.

BVXBAVMIA.

Capsula inaequalis, ex duplici sacculo constans, interiori pollinifero. Operculum oblique insertum *). Calyptra caduca.

OBS. Operculi obliqua insertio in *Buxbaumiis* ab aliis auctoribus praeteruisa fuit. Sed essentialem notam constituit, qua *Buxbaumiae* genus ab aliis optime discriminatur.

* 196. BVXBAVMIA *foliosa.*

Buxbaumia *(sessilis)* bulbo foliis cincto SCHMID. *Diss. de Buxb. p. 26. Sp. 2.* (cum anatome plantae iconibus nitidis repraesentata.)

Sphagnum sessile, foliis radicalibus obtusis, centralibus ciliatis. HALL. *Hist. T. III. p. 24. n. 1725. Tab. 46. f. 3.*

Sphagnum acaulum maximum, foliis in centro ciliatis. HALL. *H. Helu. II. p. 83. n. 57. Enum. Helu. p. 10. T. 3. f. 3.* DILL. *Hist. p. 252. T. 32. f. 13.*

Phascum

*) Qui plura de singulari hoc muscorum genere scire cupit, adeat prae reliquis elegantissimum scriptum Ill. SCHMIDELII: (CASIM. CHRISTOPH SCHMIDEL, Resp. Jo. GEORGIO HOELZEL, Diss. *de Buxbaumia.* Erlangae 1758.

Phaſcum (*Halleri*) acaule, anthera ſeſſili; foliis interioribus mucronatis. MILL. *Frid. p.* 196. *Act. Holm.* 1764. *p.* 29. (cum deſcriptione et icone.)

Phaſcum *(Hallerianum)* acaule, anthera ſeſſili; foliis intimis erectis, ſubulatis, conniuentibus maioribus; capſula ouata ſeſſili. NECK. *Act. pal. T. II. p.* 450.

Bryum *(Hallerianum)* acaule, capitulis ſeſſilibus; foliis extimis patentibus, obtuſis; intimis erectis mucronatis. NECK. *Meth. p.* 233. *Sp.* 44.

Icon OED. *Dan. T.* 249. *f.* 3.

DIAGN. Acaulis, folioſa, capſula ſeſſili.

LOC. NAT. Vulgaris ſatis in ſyluis Hercynicis planta. Primum legi inter Clausthal et Schluft, dein inter Scharzfeld et Andreasberg, et inter Andreasberg et Lauterberg. Etiam inter muſcos in M. Radauerberg prope Harzburg collectos reperi. Copioſa ſpecimina lecta in via profunda prope Auerhahn *Cl.* SALZWEDEL miſit, et ex ſyluis prope Goslar a *Cl.* SCHNECKERO habeo.

OBS. A BRYO differt operculi inſertione, a PHASCO operculi, et a SPHAGNO calyptrae praeſentia. His addas ſaccului iſtum duplicem, quem quidem ſub accuratiori examine, in variis aliorum generum ſpeciebus etiam reperies, tam euidentem vero diſtinctumque in nullo alio genere. Miror *perill.* HALLERVM plantam inter SPHAGNA reliquiſſe, cuius et ipſi character in ciliorum coronae et calyptrae ab-

ſentia eſt, quam tamen adeſſe iam pridem in *Emend. III.* ill. auctor adnotauit.

* In iconibus HALLERI, OEDERI et DILLENII operculi obliqua inſertio negligitur.

Calyptras m. Octobris reperi, minusque caducas, quam in altera ſpecie obſeruaui.

Tranſitum ex BVXBAVMIA in PHASCVM, cuius omnino habitum refert, conſtituit. Caeterum deſcriptionibus HALLERI, SCHMIDELII et MÜLLERI quid addam non inuenio.

* 197. BVXBAVMIA *aphylla.*

LINN. *Diſſ. in Amoen. acad. T. V. p. 78.* (cum icone) *Spec. Plant. p. 1570. Syſt. veg. p. 795.* HALL. *Enum. Helu. p. 10.*

Buxbaumia cauleſcens aphylla. HALL. *Hiſt. T. III. p. 25. n. 1728.*

Buxbaumia *(cauleſcens)* bulbo villis tecto, SCHMID. *Diſſ. p. 25. Sp. 1.* (cum iconibus optimis.)

Hippopodium FABRIC. *Primit. p. 31.*

Muſcus capillaceus aphyllos, capitulo craſſo, biualui. BVXB. *Cent. II. p. 8. Tab. 4. f. 2* DILL. *Hiſt. pag. 477. T. 38. f. 5.*

Muſcus nanus tuberoſa radice; foliis iuniperinis tenuiſſime ſerratis; capitulo magno,

magno, ouato, ventricoso; calyptra tomentosa. MICH. *Gen. p. 109 n. 13.* (Ex fide speciminis, quod DILLENIVS a MONTIO habuit, contradicente omnino ex omni fere parte descriptione.)

Icon OED. *Flor. Dan. Tab. 44.*

DIAGN. Seta ex bulbo villoso, nudo.

LOC. NAT. Abundat in syluis prope Goslar, ex quibus primus illam mihi attulit *Cl.* SCHNECKER. Imprimis autem frequens occurrit in infima plaga montis Hahnenberg, prope Ockerhütte, sub *Abietibus*, locis semper depressis, humidiusculis, arenosis. Vnde et magnam speciminum copiam transmisit *Cl.* SALZWEDEL.

Quis post tantorum virorum industriam, in describenda hac planta adhibitam, adhuc quid addet?

ALGAE.

IVNGERMANNIA.

Quae naturam huius generis concernunt optime descripsit et iconibus expressit SCHMIDELIVS *vir illustris.* Videatur CAS. CHR. SCHMIDEL, Resp. CHRISTOPH. ANDR. PAVER, Diss. *De Iungermanniae charactere.* Erlangae 1760.

* FRONDIBVS PINNATIS, NVDIS.

198. IVNGERMANNIA *aſplenoides.*

LINN. *Syſt. veg. p. 802. Sp. 1.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 61. Sp. 1.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 344. n. 1338. Tab. 62.*

Iungermannia (*aſplenoides*) ſurculo pennato, apice capitulifero; foliis obtuſis, recuruiuſculis, margine ſubciliatis. NECK. *Meth. p. 133. Sp. 10.*

DIAGN. Surculi ramoſi. Folia ouata, obtuſa, denticulato-ciliata, concaua ſaepius, complicata. Vaginae terminales, longiſſimae.

LOC. NAT. Locis vdis ad terram et muros frequens, imprimis prope Andreasberg.

OBS. Vagina exterior crenata. Interior ouoidea, in altero latere ſpinula infra apicem inſerta donata.

Florentem reperi ad finem m. Maii.

199. IVNGERMANNIA *viticuloſa.*

LINN. *Syſt. veg. p. 802. Sp. 2.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 62. Sp. 2.*

Iungermannia (*viticuloſa*) ſurculo pennato, baſi medioque capitulifero; foliis ouatis, integerrimis. NECK. *Meth. p. 132. Sp. 11.*

DIAGN. Ex Cel. NECKERI *deſcriptione petenda.*

LOC. NAT. Vulgaris in omnibus ſyluis et rupibus Hercynicis.

OBS.

OBS. Difficilis aliquatenus planta, quae per aetatem admodum variatur. In iunioribus ſurculi repentes ſunt, foliis laxioribus, magis rotundatis praediti, fere vt in figura DILLENII *Tab. 69. fig. 8.* (Talia ſpecimina legi in introitu ſpeluncae Baumannianae.) In adultioribus eriguntur ſurculi, folia magis approximantur, baſi anguſtantur, concaua ſunt aut complicata, ita vt omnino habitum *prioris* ſpeciei habeant, et deficientibus ſetis, non niſi foliis integerrimis diſtinguantur. Specima variae aetatis inter ſe collata docent huius *varietatem* eſſe.

β. Lichenaſtrum trichomanoides, aquaticum odoratum, fontis S. Winfridiae. DILL. *Hiſt. p. 485. T. 69. f. 8.*

Synon. et deſcript. prioris varietatis WEIS *Crypt. pag. 112.*

200. IVNGERMANNIA *BIDENTATA.*

LINN. *Syſt. veg. p. 802. Sp. 5.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 62. Sp. 5.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 349. n. 1346.*

Iungermannia (*bidentata*) ſurculo pennato, apice globulifero; foliis bidentatis. NECK. *Meth. p. 130. Sp. 6.*

Iungermannia (*bidentata*) ſurculis procumbentibus, ramoſis, apicibus floriferis; foliis ouatis, bicuſpidatis, ſtipulis lanceolatis, quadridentatis. SCHREB. *Spic. p. 104. n. 1081.*

DIAGN. Folia ex ouato ſubquadrata, bifida, inciſione lunulata.

LOC. NAT. Vulgaris ad terram et arborum truncos. Imprimis tamen omnes varietates legi ad rupes prope Altonau, et ad terram inter Altonau et Borkenkrug.

OBS. Variabilis planta. Duas huius VARIETATES

α. maiorem
β. minorem

constituit *Cel.* WEIS. Posteriorem exsiccatam, ne cum *reptante* confundas, caue.

Descriptiones et synonyma vtriusque videantur in WEISSII *Plant. Crypt. p. 105.* Vix tamen credo, huc pertinere: Iungermanniam foliis distinctis, bicuspidatis, summis ramis globuligeris. HALL. *Hist. T. III. p. 59. n. 1865.* Folia quidem ad lunulae dimidiae modum excisa esse, in descriptione dixit *peril.* HALLERVS, DILLENII vero plantam *Tab. 70. f. 3.* huc retulit, et dein ab aliis differre foliis argutissime incisis adnotauit.

Auriculae, quas in inferiore parte surculorum primus obseruauit *ill.* SCHREBER, bifidae sunt, minimae. Istas in plerisque video, quum tamen in multis euanescant, plantam ab hac subdiuisione remouere nolui.

Praecedentibus adhuc addam sequentes varietates, quae, vt equidem existimo, certo certius pro talibus habendae sunt.

* *γ.* IVNGERMANNIA *bidentata, globulifera.*

Iungermannia foliis imbricatis, bicuspidatis, globuliferis. HALL. *Hist. T. III. p. 59. n. 1863.*

Maium

Mnium (*fissum*) surculo repente, pennato; foliis imbricatis, bidentatis, apice globuliferis. NECK. *Meth. p. 237. Sp. 6. fig. 11*

OBS. Folia omnino habet IVNGERMANNIAE *bidentatae, minoris*, paululum tamen maiora, in cornu breuiori vtplurimum, globulum paruulum luteſcentem gerentia. In vtroque cornu *Cel.* NECKER ſemper, ego rarius globulos vidi. Fateor quidem me variis anni temporibus in loco natali, (copioſiſſima enim eſt ad dictos rupes) iſtam ſemper cum globulis reperiſſe. Sed ſimillima ſurculorum et foliorum ſtructura, vt ſeparetur vetat, quibus accedit, quod, ſi folia iſtis globulis deſtituantur, vti in exſiccatis fieri ſolet, nullo modo illam diſtinguere poſſis. Non credas hanc, vt et ſequentem differre foliis arctius imbricatis, quae conſtantem notam non exhibere, meae obſeruationes me docent.

* δ. IVNGERMANNIA *bidentata, ſphaerocephala.*

Iungermannia *fiſſa.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 348. n. 1345.*

Iungermannia foliis bidentatis, in apice fragifera. HALL. *Hiſt. T. III. p. 59. n. 1864.*

Mnium (*fiſſum*) foliis diſtichis, biſidis. LINN. *Spec. Plant. p. 1579. Sp. 17. Syſt. veg. p. 797. Sp. 17.*

Mnium (*trichomanis*) ſurculo reptante pennato, apice globulifero; foliis bidentatis. NECK. *Meth. p. 236. Sp. 5.*

Mnium trichomanis facie, foliis distichis bifidis. DILL. *Hist. p. 237. T. 31. f. 6.*

OBS. Sphaerocephala in extremitatibus surculorum fert, vel in setis, vel sessilia, quae imprimis m. Maii frequentia vidi. In meis lutescentes observo.

An *Iungermannia* citata HALLERI mea planta sit, initio dubitaui. Miror enim folia acute bidentata tantummodo dixisse, nec excisionem lunulatam adnotasse. Praeterea sphaerocephalum ruberrimum fragum referens descripsit, quod in meis lutescens est.

Iungermannia terrestris repens; foliis bifidis apertura pene visibili MICH. *Gen. p. 8. Tab. 5. f. 14.* ab auctoribus huc refertur. Sed de ista omnino dubius sum, quum folia fere bifida MICHELIVS depinxerit.

201. IVNGERMANNIA *bicuspidata.*
LINN. *Syst. veg. p. 802. Sp. 6.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 62. Sp. 6.*

Iungermannia (*bicuspidata*) surculo pennato, lineari-ramoso, medio capulifero; foliis bidentatis acutissimis. NECK. *Meth. p. 129. Sp. 5.*

Iungermannia (*bicuspidata*) surculis procumbentibus; foliis distichis, quadratis, bidentatis; stipulis nullis. SCHREB. *Spic. p. 105. n. 1052.*

DIAGN. Habitus prioris. Similiter varians. Folia inciso bifida.

LOC. NAT. Similibus occurrit locis cum priori. Copiosam imprimis vidi prope Harzburg.

Syn.

Synon. et descr. WEIS *Crypt. p.* 117.

* 202. IVNGERMANNIA *quinquedentata.*

Iungermannia frondibus pinnatis, ramosis, apice floriferis; foliolis quinquedentatis. HVDS. *Flor. angl. p.* 433. *Sp.* 8. LINN. *Spec. Plant. p.* 1598. *Sp.* 7. *Syst. veg. p.* 802. *Sp.* 7. CRANTZ *Inst. T. I. p.* 63. *Sp.* 7.

Iungermannia (*quinquedentata*) surculo pennato, ramoso, apice globulifero; foliis quinquedentatis. NECK. *Meth. p.* 132. *Sp.* 9.

Lichenastrum multifidum, maius, ab extremitate florens. DILL. *Hist. p.* 494. *T.* 71. *f.* 23. (non bona, surculis nimis planis.)

DIAGN. Folia quadrata, 1 — 6 dentata, aut crenata.

LOC. NAT. Rarior aliunde species, copiosissima est ad rupes circa Elbingerode, imprimis ad dextram viae, quae ad pagum Rübeland tendit, prope molendinam. Etiam ad terram et in saxis Bructeri non rara.

DESCR. Surculi conferti, vnciales, sesquivnciales, ad basin emarcidi, versus summitates laete virentes, in adultioribus purpurascentes, rarius simplices, vtplurimum ramosi et in plerisque per dichotomiam diuisi, apicibus vncinatis. Caulis purpurascens, in plerisque flexuosus, saepius alatus adparet, et villis breuibus, albidis secundum

longitudinem obsessus. Folia complicata, imprimis in iunioribus, vere quadrata, alterna, laxa, in iunioribus tamen magis approximata et copiosiora, vt fere imbricata sint, in plerisque quadridentata. Quoad dentes vero maxime variant. Vidi enim folia tantummodo aristata, alia bi, tri, quadri, quinque et sexdentata, alia rursus non nisi leuiter crenata. Dentes isti plerumque in superiori folii margine inueniuntur, in alias vero in inferiori, et tunc, quum folia paululum flectantur, obscurius quadrata sunt, et magis oblonga adparent. Vaginae cylindricae, lineam circiter longae, crenatae, terminales, interdum etiam laterales. Setas non vidi.

OBS. A DILLENIO et *Cel.* NECKERO huc refertur: Muscoides terrestre repens, ex obscuro viresćens, foliis superioribus et inferioribus ad extremitatem dentatis. MICH. *Gen. p. 10. T. 6. f. 2.* Sed MICHELII planta potius ad IVNGERMANNIAM *trilobatam* pertinet, ob magnitudinem surculorum, inferne auriculis tectorum, folia arctius imbricata, radiculas longas, fibrillosas, flexuosas, quae omnino *trilobatae* propriae sunt.

Porro *Cel. de* NECKER ad IVNGERMANNIAM *quinquedentatam* dubie quidem, Iungermanniam caulibus conuexis; foliis descendentibus, imbricatis, tridentatis HALL. *Hist. T. III. p. 59. n. 1866.* refert. Sed certe huius loci non est, *Cel. de* NECKER synonymo, vt videtur, DILLENII (*T. 71. f. 23.*) quod *perill.* HALLERVS dubie ad suam plantam retulit, deductus fuit in hanc sententiam. Sed certe nec hoc

hoc DILLENII ſynonymum ad plantam HALLERI pertinet, quae *IVNGERMANNIA trilobata* eſt. Miror caeterum *quinquedentatam* in Heluetia non lectam fuiſſe.

Varietatem omnibus partibus dimidio minorem legi aliis muſcis immixtam, inter Braunlage et Schierke. Et quum haecce adeo variabilis ſit Iungermannia, vix puto diuerſam eſſe SCOPOLI Iungermanniam (*tridentatam*) frondibus ſterilibus humifuſis, floriferis erectis; foliis ſecundis, tridentatis. SCOP. *Carn. 1. p. 125. Sp. 8. Carn. 2. T. II. p. 349. n. 1347.*

** SVRCVLIS PINNATIS, AVRICVLATIS.

203. IVNGERMANNIA *vndulata.*

LINN. *Syſt. veg. p. 802. Sp. 8.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 63. Sp. 8.*

Iungermannia (*vndulata*) ſurculo pennato, procumbente, apice capitulifero; foliis ſupra auriculatis, remotiuſculis, conuexo-concauis. NECK. *Meth. p. 139. Sp. 17.*

DIAGN. Surculi erecti, vncia multo longiores (vtplurimum biunciales) ſubauriculati. Folia rotundata, alterna, ad caulem concaua, per lentem integerrima, ſubimbricata.

LOC. NAT. In vliginoſis torfoſis Bructeri copioſiſſima.

OBS Auriculae ſaepius euaneſcunt. Per lentem pleraque folia vndulata ſunt, non omnia.

Margo

Margo plerumque reflectitur. Non video, cur *ill.* LINNAEVS tam in hac, quam in nonnullis sequentium frondes bipinnatas dixerit.

Synon. et descript. WEIS *Crypt. p. 120.*

204. IVNGERMANNIA *nemorea.*

LINN. *Syst. veg. p. 802. Sp. 9.* CRANTZ *Inst. p. 63. Sp. 9.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 344. n. 1339.*

Iungermannia (*nemorosa*) surculo pinnato, apice globulifero; foliis obcuatis, margine ciliatis, basi supra appendiculatis. NECK. *Meth. p. 136. Sp. 13.*

DIAGN. Surculi subramosi. Folia cuata, per lentem crenato denticulata, vere imbricata, tecta auriculis alternis, amplexicaulibus, conuexis, adpressis, foliis triplo circiter breuioribus.

LOC. NAT. In omnibus syluis Hercyniae frequens. In Bructeri adscensu versus Schierke saxis adhaeret copiosissima, sic et in M. Radauerberg prope Harzburg.

Porro in omnibus riuulis v. c. in der Bremke saxa obducit.

OBS. Setae semunciales ad vnciales, candidissimae, flaccidae, terminales, quas ad finem m. Maii profert. In non florentibus plantis granula rubra aut fusca calicylo terminali quasi inclusa reperiuntur, quod imprimis in Bructero obseruaui.

Nomen et figura Hepaticae saxatilis vndulatae seminiferae VAILL. *Bot. T. 19. f. 6.* manifeste mihi indicare videntur, nec ad *nemoream*, nec ad *vndulatam*

dulatam pertinere hoc ſynonymum. Huic etiam locus natalis ſaxatilis imprimis conuenit, et granula iſta, quae ſemina a VAILLANTIO nominantur, in hac fere ſemper, in *vndulata* numquam vidi.

Syn. et deſcr. WEIS *Crypt. p. 121.*

* 205. IVNGERMANNIA *reſupinata.*

Iungermannia frondibus ſupra bipinnatis, inferne floriferis; foliis crenulatis, imbricatis, rotundis. LINN. *Spec. Plant. p. 1599. Sp. 10. Syſt. veg. p. 803. Sp. 10.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 63. Sp. 10.* NECK. *Del. p. 136. Sp. 14.*

Iungermannia (*reſupinata*) ſurculo pennato, erectiuſculo, baſi capitulifero; foliis imbricato rotundatis, ſuperne auriculatis. NECK. *Meth. p. 136. Sp. 14.*

Lichenaſtrum imbricatum, pinnulis rotundis, criſpum. DILL. *Hiſt. p. 491. T. 71. f. 19.*

DIAGN. Folia ouata, acuminata. Auriculae in ſuperiori parte, alternae, magnae, non adpreſſae.

LOC. NAT. Mea ſpecimina legi ad rupes prope Scharzfeld.

DESCR. Surculi conferti, intertexti, vt plurimum ſemunciales, ramoſi, ramulis alternis, non raro ſimplices. Folia approximata, alterna, ouata, acuminata, pellucida, integerrima, aut per lentem leuiſſime crenata. Auriculae in ſuperiori ſurculorum ſuperficie alternae, concauae, foliis

iis non multum minores, rotundatae, admodum diſtantes.

Flores non vidi; ſecundum DILLENIVM verſus baſin in ſurculis peculiaribus, breuibus, non multum foliatis, thecae enaſcuntur, pro plantae ratione magnae, ventricoſae, in extremitate denticulis aliquot inciſae, pallidae, e quibus ſetae prodeunt tenues, candidae, flores exigui.

206. IVNGERMANNIA *albicans.*

LINN. *Syſt. veg. p. 802. Sp. 11.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 63.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 347. n. 1342.*

Iungermannia *(albicans)* ſurculo pennato, ramoſiuſculo, apice capitulifero; foliis linearibus, recuruis, ſupra auriculatis. NECK. *Meth. p. 135. Sp. 12.*

DIAGN. Folia late linearia, acuminata, ad angulum rectum conſpicuis interuallis diſpoſita, paululum recuruata. Auriculae in ſuperiori ſurculorum facie ouatae, ad angulum acutum diſpoſitae. Planta ſiccitate albeſcens.

LOC. NAT. Locis humidis ad ſaxa et rupes occurrit; copioſiſſima v. c. in Bructero eſt, ad rupes prope Altonau, prope Clausthal et alibi.

OBS. Folia per lentem neruo quaſi diuiſa ſunt et ſerrulata. Auriculae foliis dimidio circiter breuiores, obtuſae. Thecae, quas m. Octobri reperi, foliis circumuallatae, aeque frequentes in axillis ramorum, quam in ſummitatibus.

Synon. et deſcript. WEIS *Crypt. p. 122.*

207.

207. IVNGERMANNIA *trilobata.*

LINN. *Syſt. veg. p. 802. Sp. 12.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 64. Sp. 12.*

Iungermannia *(trilobata)* ſurculo pennato, ſimpliciuſculo, reptante; foliis ſubquadratis, obtuſe crenatis; infra appendiculatis. NECK. *Meth. p. 137.*

Muſcoides terreſtre repens, ex obſcuro vireſcens; foliis ſuperioribus et inferioribus ad extremitatem dentatis. MICH. *Gen. p. 10. Tab. 6. f. 2.* (Certe. Videantur, quae ſub *IVNGERMANNIA quinquedentata n. 202.* a me notata ſunt.)

DIAGN. Surculi adunci, longi, repentes, crebris fibrilloſis et longis radiculis donati. Folia imbricata, complicata, ſubquadrata, baſi latiora, apice dentata (vtplurimum tridentata) Auriculae in inferiori ſurculorum pagina, foliis triplo minores, crenatae.

LOC. NAT. Copioſa ſerpit locis vdis ſyluarum Hercynicarum, imprimis inter Clausthal et Schluft, prope Braunlage, a Lauterberg, Andreasberg.

OBS. Iungermannia caulibus conuexis; foliis deſcendentibus, imbricatis, tridentatis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 59. n. 1866.* certe noſtra eſt. Lichenaſtrum autem multifidum, maius, ab extremitate florens DILL. *Hiſt. p. 494. Tab. 71. f. 23.* quod poſt *ill.* HALLERVM *Cel.* WEIS huc retulit, absque dubio ad *quinquedentatam* pertinet.

Plura

Plura, quae de ſynonymis monui videantur ſub *IVNGERMANNIA quinquedentata n. 202.*

Synon. et deſcr. WEIS *Crypt. p.* 118. habet.

208. IVNGERMANNIA *reptans.*

LINN. *Syſt. veg. p. 802. Sp. 13.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 64. Sp. 13.*

Iungermannia (*reptans.*) ſurculo pennato, ramoſo, apice radicato; foliis ſubtus auriculatis, ſubquadridentatis. NECK. *Meth. p.* 138. *Sp.* 16.

Iungermannia (*reptans*) ſurculis decompoſitis, medio floriferis; foliis quadratis, antice inciſis; ſtipulis quadrifidis. SCHREBER. *Spicil. pag. 106. n. 1083.*

DIAGN. Surculi teneri, ramoſi, repentes, inferne auriculati, foliolis per lentem dentatis. Vaginae in centro congeſtae, triquetrae.

LOC. NAT. Habitat locis vmbroſis ad terram et arborum putridos truncos. Copioſa per omnes ſyluas Hercynicas, imprimis inter Clausthal et Schluft, inter Braunlage et Schierke, Borkenkrug et Altonau.

OBS. Foliola bi, tri, quadri et quinquedentata ſunt, interdum tantum crenata. Vaginae ſeſſiles, fugitiuo oculo adſpectae faciem *BVXBAVMIAE foliosae* habent.

Varietatem inter alios muſcos prope Altonau et Clausthal copioſam legi, in qua folia conſtanter

ſtanter laxiora, alterna, admodum remota ſunt. Sed habitus et auriculae conueniunt.

Synon. et deſcript. WEIS *Crypt. p. 119.*

208. IVNGERMANNIA *cochleariformis.* WEIS *Crypt. p. 123.*

Iungermannia *purpurea.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 347. n. 1343.*

Mnium *(Iungermannia)* foliis diſtichis; pinnis ſubtus auriculatis. LINN. *Syſt. veg. p. 797. Sp. 18.* CRANTZ. *Inſt. T. I. p. 46. Sp. 18.*

DIAGN. Surculi ſubteretes. Folia ad caulem maxime concaua, rotundata.

LOC. NAT. Humida amat. Copioſa prope Altonau in rupibus ad dextram viae inter Altonau et Borkenkrug, in paludoſis et ad ſaxa Bructeri, in rupibus prope Clausthal.

OBS. Non ſemper purpurea eſt. Surculis viridibus occurrit prope Altonau et Clausthal. Surculis purpureis, maioribus, vno alteroue ramulo donatis, apice plerumque furcatis in Bructero reperi. Maii menſe profert vaginas terminales, ſurculis concolores, cylindricas. Iure ergo ad IVNGERMANNIAS refertur, et referri debet.

Iungermanniam foliis laceris multidentatis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 59. n. 1862.* primam faciem IVNGERMANNIAE *cochleariformis* conſtituere *Ill.* HALLERVS ſuſpicatur. Sed mihi omnino planta HALLERIANA a noſtra diuerſiſſima videtur, et vix perſuadeor, eas notas, quas

de ſua adnotauit *Ill.* HALLERVS, noſtrae unquam competere poſſe.

Synon. et deſcript. habet WEIS *Crypt. p.* 123.

*** FRONDIBVS IMBRICATIS.

209. IVNGERMANNIA *complanata.*

LINN. *Syſt. veg. p. 803. Sp. 14.* CRANTZ. *Inſt. T. I. p. 64. Sp. 14.* SCOP. *Carn. 2. p. 345. n. 1340.*

Iungermannia *(complanata)* ſtirculo reptante; foliis ſubrotundis, ſerie duplici ordinatis, ſubtus appendiculatis; vaginis ramorum plano-truncatis. NECK. *Meth. p. 142. Sp. 21.*

DIAGN. Foliola in duplici ſerie, rotundata, ſubpellucida, luteo-viridia. Auriculae nullae. Setae breues, terminales.

LOC. NAT. Ad arborum cortices, et rupes ſyluarum Hercynicarum non rara, v. c. prope Clausthal, Schierke, Andreasberg.

OBS. In meis ſpeciminibus auriculas inferne non video. Alienam credidiſſem ſpeciem, niſi SCOPOLIVM idem obſeruaſſe vidiſſem. Aquam colore luteo tingit.

VARIETATEM foliis laxis, diſtincte alternantibus, legi ad *Fagum* inter Braunlage et Schierke.

Syn. et deſcr. inueniuntur in WEIS. *Crypt. p.* 124.

210. IVNGERMANNIA *dilatata.*

LINN. *Syſt. veg. p. 803. Sp. 15.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 64. Sp. 15.*

Iunger-

Iungermannia *(dilatata)* ſurculo reptante, imbricato; foliis ſerie duplici, orbiculatis; ramorum apice latiuſculo. NECK. *Meth. p. 140. Sp. 19.*

DIAGN. Folia alterna, rotundata. Auriculae rotundatae, inferiori cuiuslibet foliī paginae appreſſae, triplo foliis minores, Setae terminales, breues.

A *priori* differt ſurculis auriculatis, foliis multo minoribus.

LOC. NAT. Ad rupes et arbores ſyluarum Hercynicarum pariter frequens.

OBS. Dubito, an eadem planta ſit, quam *Ill.* SCOPOLI *(Carn. 2. p. 346. n. 1341.)* ſub iſto nomine adfert. In ſua ſurculos conſtanter atro rubentes, et thecas ferrugineas eſſe perhibet. De hoc omnino nullus auctorum meminit, nec ego alium ac ſaturate viridem in hac ſpecie vidi colorem. Ramos etiam ſemper paululum dilatatos obſeruo, vti et *perill.* LINNAEVS; quod in ſua negat *ill.* SCOPOLI. Anne igitur *Scopoliana* planta potius ad *Iungermanniam tamariſcifoliam* pertinet? Ita quidem mihi videtur.

Synon. et deſcript. WEIS *Crypt. p. 126.* exhibit.

211. IVNGERMANNIA *tamariſci.*

LINN. *Syſt. veg. p. 803. Sp. 16.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 64. Sp. 16.*

Iungermannia *(tamariſcifolia)* ſurculo lineari, reptante; foliis conuexiuſculis, duplici ordine ſuborbiculatis: inferioribus quadruplo maioribus, ſubbifidis. NECK. *Meth. p. 141. Sp. 20.*

Iungermannia *(tamariſcifolia)* ſurculis decompoſitis, apice floriferis; foliis ſubrotundis, ſubtus auriculatis; ſtipulis ouatis, emarginatis. SCHREB. *Spic. p. 108. n. 1086.*

DIAGN. Folia arcte imbricata. Auriculae ſimplicis ſeriei, ſecundum longitudinem caulis, in inferiori pagina diſpoſitae. Planta adulta atro-rufeſcens.

Differt a *prioribus* colore, ſimplici auricularum ſerie.

LOC. NAT. Latis ſtratis omnes rupes ſylvarum Hercynicarum obducit.

OBS. Anne huc pertinet Iungermannia *(rubiginoſa.)* Surculo plano imbricato, foliis ſimplici duplicique ordine ſubrotundis; ſubtus auriculatis. NECK. *Act. Pal. T. II. p. 447. T. I. f. 3. Meth. p. 139. Sp. 18?* ſic mihi videtur.

Synon. et deſcript. WEIS *Crypt. p. 128.*

213. IVNGERMANNIA *Trichomanis.*

SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 348. n. 1344.*

Iungermannia *ſcalaris.* SCHMIED. *Diſſ. de Iung. p. 20. Sp. 15. f. 17.* SCHREB. *Spic. p. 103. n. 1078.*

Iungermannia foliis integerrimis, planis, ouatis, diſtichis; extremo caule ſetifero. HALL. *Hiſt. T. III. p. 57. n. 1858.*

Mnium *(trichomanis)* foliis diſtichis, integerrimis. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1578. Sp. 16. Syſt. veg. p. 797. Sp. 16.*

Sp. 16. CRANTZ *Inſt. T. I. p. 46. Sp. 26.* NECK. *Del. p. 450. Sp.* II. SCOP. *Carn. 1. p. 128. Sp. 1.*

Mnium *(Iungermannioides)* ſurculo pennato repente, apice globulifero, adſcendente; foliis integerrimis. NECK. *Meth. p. 236. Sp. 4.*

Mnium trichomanis facie foliolis integerrimis. DILL. *Hiſt. p. 236. T. 31. f. 8.*

DIAGN. Surculi proſtrati, apice ſaepius globuliferi. Folia obtuſa. Auriculae ſimplicis ſeriei in inferiori ſurculorum pagina.

LOC. NAT. Ad terram ſerpit in vdis. Frequens in rupibus prope Scharzfeld, verſus die alte Kirche, in ſyluis prope Schierke, imprimis vero ad rupes prope Altonau.

DESCR. Surculi vtplurimum ſimplices, etiam ramoſi, ſemiunciales, breuiores ſaepius, rarius vnciales, proſtrati, conferti. Foliola proxime alterna, pellucida, laete virentia, integerrima, obtuſa, ouata aut oblonga: Auriculae in inferiori ſurculorum pagina paruae, rotundatae, ſimplici ſerie ad longitudinem caulis diſpoſitae, appreſſae, interuallis latitudinem foliorum aequantibus. Summitates ſurculorum rarioribus et minoribus foliis tectae, paululum eriguntur et capitulum gerunt viridulum, ſubfolioſum, etiam puluere adſperſum, omnino *Mniorum* inſtar.

OBS. Ob habitum *Iungermanniis* aſſociavi, in hoc etiam alios auctores ſequutus. Thecas quidem *Iungermanniae* nec ego, nec multi alii viderunt. Sed nec *Mnii* capſulae ab vllo auctore

viſae ſunt. An igitur planta peculiaris indolis? Vix crediderim, quum in *Mnio Iungermanniae* L. thecas *Iungermanniae* viderim, etiamque *Mnium Trichomanis* L. thecas proferre affirmauerit *Ill.* SCHMIEDEL *), In icone SCHMIEDELII auriculas deſidero.

214. IVNGERMANNIA *ciliaris.*

LINN. *Syſt. veg. p. 803. Sp. 18.* GRANTZ *Inſt. T. I. p. 65. Sp. 18.*

Iungermannia *(ciliaris)* ſurculo repente, foliolis ſerie duplici ordinatis, ſubtus appendiculatis, ciliatis; vagina axillari, cilindracea, villoſa. NECK. *Meth. p. 143. Sp. 23.*

DIAGN. Surculi repentes, ramoſiſſimi, ex albido vireſcentes. Folia duplici ſerie diſpoſita, ciliata, villoſiſſima.

LOC. NAT. Copioſiſſimam reperi ad fluuium die Bremke inter Braunlage et Schierke.

Synon. et deſcript. Vid. in WEIS *Crypt. p. 129.*

*214. IVNGERMANNIA *pulcherrima.*

Lichenaſtrum ſcorpioides pulchrum villoſum. DILL. *Hiſt. p. 811. T. 69. f. 3.*

DIAGN. Folia per lentem ſubbifida, longis articulatis ariſtis inciſa.

LOC. NAT. Arborea. Non rara ad Abietes inter Clausthal et Borkenkrug, et alibi prope Clausthal, rariſſima aliunde, quam DILLENIVS ex Groenlandia habuit.

DESCR.

*) Diſſ. de Iungerm. p. 21. §. 15.

DESCR. Surculi ramosissimi, conferti, intricati, latis caespitibus arborum cortices obducunt, angusti sunt, lineares, compressi, apicibus saepius tumidiores inflexi, iuniores laete virescentes, adultiores ex rubro fuscae, apicibus luteis, aetate adhuc profectiores albicantes. Obiter adspecti hirsutam quandam faciem habent a foliorum structura. Sed folia pulcherrimae inter omnes IVNGERMANNIAS plantae non nisi per lentem spectata accurate describi possunt. Per lentem video folia ouata, plerumque mediatenus incisо-bifida, concaua, alterna, secunda, haud tamen inflexa, elegantissime punctata, margine vbique aristis obsita articulatis, SERTVLARIAE speciei similibus. Thecas profert mense Octobris, et ad apices ramulorum et in alis eorundem, longitudine duas lineas fere aequantes, in quibus peculiare hocce obseruo, quod ad basin adhuc calyculo cinctae sint, qui saepius disrumpitur, et squamulae spathae similis figuram acquirit. In thecis ipsis globulus ater latet, qui denuo (de more gentis) calyculo inclusus est. Setas non vidi.

****** SVRCVLIS TERETIVSCVLIS, FOLIOLIS VNDIQVE CINCTIS.**

(Auriculis nullis.)

*** 215. IVNGERMANNIA *lutacea.***

Iungermannia surculis teretibus; foliolis vndique imbricatis, floribus pedunculatis. LINN. *Spec. Plant. p. 1601. Sp. 20. Syst. veg. p. 803. Sp. 20.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 65. Sp. 20.*

Iungermannia caule filiformi; foliis appressis, inconspicuis. HALL. *Hist. T. III. p. 63. n. 1882.*

Iungermannia *(iulacea)* ſurculo tereti, fragili, apice globulifero; foliis rachi arcte appreſſis. NECK. *Meth. p. 145. Sp. 26.*

Lichenaſtrum alpinum, Bryi iulacei argentei facie. DILL. *Hiſt. p. 506. Tab. 73. f. 38.*

DIAGN. *Surculi tenues, teretes, ſericei; folia arctiſſime appreſſa.*

LOC. NAT. Adhaeret rupibus altioribus, locis vdis. Copioſa eſt ad inferiorem plagam ſaxorum Bructeri.

DESCR. Surculi conferti, ſemunciales, et breuiores etiam vnciales, ſimplices aut furcati, tenues, teretes, foliis ita appreſſis, vt vix ne lente quidem diſtingui poſſint, (qua nota ab omnibus aliis facile diſtinguitur) humidi laete virides, ſplendentes, ſicci argenteo ſplendore donati, omnino vti *BRYVM argenteum.*

Setas non vidi, verum ſurculos verſus apices incraſſatos, terminatos calyculis membranaceis, pellucidis, paruis granulis repletis.

Flores adnotante DILLENIO rarius obſervantur, valde parui ſunt, ex fuſco rufeſcentes, et perbreuibus pediculis candidis haerentes, e vagina denticulata aegre conſpicua egredientibus.

* 216. IVNGERMANNIA *alpina.*

Iungermannia ſurculis teretibus; foliolis ouatis, patentibus; calycibus imbricatis. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1601. Sp. 23. Syſt. veg. p. 803. Sp. 23.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 65. Sp. 23.*

Liche-

Lichenaſtrum alpinum, atrorubens, teres, calycibus ſquamoſis. DILL. *Hiſt. p. 506. Tab. 73. f. 39.*

DIAGN. Surculi teretes, ramoſi, atro-virides. Folia in humidis patula. Setae breviſſimae in thecis imbricatis plerumque abſconditae. Flores baſi apicibusque albi.

LOC. NAT. Saxatilis. Copioſiſſima provenit ad ſaxa in adſcenſu Bructeri verſus Schierke; rarius circa Goslar in M. Rammelsberg, et circa Andreasberg.

DESCR. Surculi ſemunciales, vnciales, in glomerulos congeſti, per breues dichotomias ramoſi, diffuſi, apicibus erectis, inferne nudi. Superne caulem craſſum, purpuraſcentem vndique ambiunt foliola ouato-lanceolata, acuminata, concaua, obſcure viridia, aut fuſceſcentia, patula, in ſiccis nigra, adpreſſa, ad apices ſurculorum vtplurimum magis congeſta, ita vt ſaepius quaſi ſtellulam forment. Thecae, quas menſe Octobris et Maii legi, terminales, ex ſquamis ouatis, concavis, viridibus aut fuſcis, in ſiccis imbricatis, in humidis laxioribus prodeunt. Setae in his plerumque abſconditae, aut breuiſſime exſertae, atro purpureae. Flores in humidis ſemper clauſi, ad baſin albi, interdum quaſi apophyſi donati; laciniis ex atro purpuraſcentibus, apicibus albis, in ſiccis conuolutis, reflexis baſi et apicibus teſtaceis, ſtigmate in medio prominulo.

OBS. Miror *perill.* HALLERVM hanc in ſuis alpibus haud legiſſe, nec *Cel.* NECKERVM in *Methodo ſuo muſcorum* eius mentionem facere.

* 217. IVNGERMANNIA *rupestris.*

Iungermannia surculis teretibus; foliis subulatis, secundis. LINN. *Spec. Plant. p. 1604. Sp. 21. Syst. veg. p. 803. Sp. 21.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 65. Sp. 21.* NECK. *Act. pal. T. II. p. 447.*

Iungermannia *(rupestris)* surculo tereti; foliis subulatis, secundis, patulis. NECK. *Meth. p. 144. Sp. 25.*

Lichenastrum alpinum nigricans, foliis capillaceis, reflexis. DILL. *Hist. p. 507. Tab. 73. fig. 40.*

DIAGN. Surculi teretes, ramosi, atro virides. Folia reflexa, secunda.

A *priori* differt thecis non squamosis.

LOC. NAT. In Bructero non rara saxis adhaerens.

DESCR. Habitus, modus crescendi, magnitudo et color IVNGERMANNIAE *alpinae*, cui admodum similis est. In setis nullam notabilem differentiam video, sed thecae cylindricae sunt, nec vt in *alpina* imbricato-squamosae.

Primo aspectu credas esse IVNGERMANNIAE *alpinae* varietatem, a qua tamen vere differt.

218. IVNGERMANNIA *trichophylla.*

LINN. *Syst. veg. p. 803. Sp. 22.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 65.* SCHREB. *p. 109. n. 1087.* NECK. *Act. pal. T. II. p. 447.*

Iungermannia *(trichophylla)* surculo tereti, adscendente, apice globulifero; foliis

foliis subulato capillaceis, sparsis. NECK. *Meth. p. 144. Sp. 24.*

DIAGN. Surculi subsimplices, teretes, semuncia breuiores, erecti. Folia setacea, distincta.

LOC. NAT. Rupes amat. Copiosam legi ad rupes prope Altonau inter IVNGERMANNIAM *cochleariformem.*

OBS. Florentem reperi mense Octobris, in qua observo setas tenuissimas, breuissimas, vix conspicuas, flores nigricantes, satis insignes. Folia in meis speciminibus lineam aequant, saepius bifida sunt.

Synon. et descr. WEIS *Crypt. p. 130.*

******** SVRCVLIS FILIFORMIBVS, FOLIIS SETACEIS RARIORIBVS DONATIS.

* 219. IVNGERMANNIA *setacea.*

an Iungermannia *(multiflora)* fronde repente, ramosa; foliolis alternis, geminis, setaceis, aequalibus. LINN. *Mant. I. p. 310. Syst. veg. p. 803?*

Iungermannia *(multiflora)* fronde simpliciter pinnata, basi florifera; foliolis acutis. HVDS. *Flor. angl. p. 431. Sp. 3?*

Lichenastrum multifidum, exile; foliolis exilissimis. DILL. *Hist. p. 481. Tab. 69. f. 4?*

DIAGN. Surculi filiformes. Foliola alterna, gemina, setacea, breuia.

LOC.

LOC. NAT. Reperi in introitu ſpeluncae Baumannianae, iſtis locis imprimis, vbi ſic dictum Laclunae frequens occurrit.

DESCR. Dubiam plantam ſatis copioſam in dicto loco multoties vidi, ſed numquam florentem. Surculi ſunt tenuiſſimi, repentes, ſemunciales, vnciales, imo interdum longiores, ex albo vireſcentes. Folia alterna, gemina, ſetacea, brevia, non niſi lente accurate perſpicienda.

OBS. Secundum deſcriptionem a LINNAEO *in Mantiſſa I.* datam omnino eſſet IVNGERMANNIA *multiflora* LINN. Sic et Lichenaſtri multiflori, exilis, foliis tenuiſſimis DILL. deſcriptio verbotenus conuenit. Mea ſpecimina tamen *icone* DILLENIANA multo tenuiora ſunt. IVNGERMANNIA *multiflora* HVDS. non quidem recedit, deſcriptio tamen non bona eſt. Ex his omnibus collatis eſſe IVNGERMANNIAM *multifloram* LINN. vix ac ne vix quidem dubitandum eſt. Sed quare *vir illuſtris* plantam ad IVNGERMANNIAS *auriculatas* retulit? De iſtis auriculis nec DILLENII icon, nec deſcriptio quid habent, et ipſe LINNAEVS vix auriculatam eſſe adnotauit *(Mant. l. c.)*

Si planta mea cum DILLENIANA reuera eadem eſt, modus florendi, quem verbis DILLENII deſcribo, ſequens eſt.

„In centro theçae plurimae, candidae, aggregatae reperiuntur, in quatuor, vt videtur, laciniias breues in ſummitate diuiſae, e quibus ſetae tenues, candidae, longae, flores magnos e fuſco rufeſcentes gerentes prodeunt.“

***** FO-

***** FOLIIS A CAVLE NON DISTINCTIS.

220. IVNGERMANNIA *epiphylla.*

LINN. *Syſt. veg. p. 803. Sp. 24.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 68. Sp. 24.* SCOP. *Flor. Carn. 2. T. II. p. 350. n. 1351.* SCHREB. *Spic. p. 110. n. 785.*

Iungermannia *(epiphylla)* ſublobata, apice latior; capitulo globoſo: primordialibus frondoſis, obtuſiſſimis, marginalibus. NECK. *Meth. p. 127. Sp. 2.*

Hepaticoides Cichorii criſpi folio. VAILL. *Bot. Tab. 19. fig. 4.*

Icon OED. *Dan. Tab. 359.* SCHMIED. *Diſſ. f. 1.*

DIAGN. Verno tempore prodeunt thecae turgidae, dorſales, vnde ſetae oriuntur fiſtuloſae, etiam binnciales, viridi globulo terminatae.

Autumno ex antiquis laciniis vndique oriuntur foliola ampliter bifida, eleganter virentia, marginalia, multa, quae longe aliam eamque criſpam faciem plantae tribuunt. SCOP.

LOC. NAT. Non rara eſt ad terram argilloſam ſyluarum vdarum. Occurrit prope Pöhle, Scharzfeld, Altonau, Clausthal et vbique fere in ſyluis Hercynicis,

OBS. Caueas ne autumnalem ſtatum cum IVNGERMANNIA *multifida* confundas. Conferantur quae de vtroque ſtatu fuſius monuit SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 351.*

Syn. et deſcr. WEIS *Crypt. p. 106.*

221.

221 IVNGERMANNIA *pinguis.*

LINN. *Syst. veg. p. 803. Sp. 25.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 66. Sp. 25.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 351. n. 1352.* NECK. *Act. pal. T. II. p. 448.*

Iungermannia *(pinguis)* sinuata, obtusiuscula, ex lateribus capitulifera: primordialibus conuolutis, linearibus frondosis. NECK. *Meth. p. 126. Sp. 1.*

Lichen paruus erectus; foliis profunde laciniatis. PLVKN. *Phyt. T. 42. f. 2.*

DIAGN. Frondes dichotomae. Laciniae apice obtusiusculae, crenatae, emarginatae. Setae laterales.

LOC. NAT. Fontes et aquas limpidas amat. Tamen etiam in Bructeri locis torfosis reperi.

OBS. Haec et prior transitum ex IVNGERMANNIIS in BLASIAM constituit. Notata digna sunt, quae de hac re *ill.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 351. et 352.* adnotauit.

Synon. et descript. in *Cl.* WEISSI *Crypt. p. 107.* reperiuntur.

222. IVNGERMANNIA *multifida.*

LINN. *Syst. veg. p. 803. Sp. 26.* CRANZ. *Inst. T. I. p. 66. Sp. 26.* SCHREBER. *Spicil. p. 109. n. 1088.*

Iungermannia *(multifida)* bipinnatifida, basi capitulifera; primordialibus linearibus, delicatulis, frondosis. NECK. *Meth. p. 129. Sp. 4.*

DIAGN.

DIAGN. Frondes lineares, irregulariter multifidae.

LOC. NAT. Terrae imprimis limosae, et arborum radicibus arcte adhaeret. Copiosissima occurrit ad terram in sylua inter Giebelhausen et Pöhle, vbi via versus Scharzfeld tendit. Abundat porro ad *Abietum* radices in syluis inter Braunlage et Schierke, inter Clausthal et Schluft et alibi.

Syn. et descr. WEIS *Crypt. p. 109.*

223. IVNGERMANNIA *furcata.*

LINN. *Syst. veg. p. 803. Sp. 27.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 66. Sp. 27.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 352. n. 1353.* SCHREB. *Spic. p. 109. n. 784.*

Iungermannia *(furcata)* linearis ramosa, dichotoma, basi capitulifera; primordialibus frondosis, terminalibus. NECK. *Meth. p. 128. Sp. 3.*

Hepaticoides arborea globuligera. VAILL. *Bot. p. 23. fig. 11.*

DIAGN. Frondes lineares, dichotomo-multifidae, neruo medio distinctae. Vaginae hirsutae, inferiori foliorum paginae insertae.

LOC. NAT. Latis caespitibus rupes et *Abietes* syluarum Hercynicarum obducit.

OBS. Caueas ne cum RICCIA *fluitante* confundas. *Ill.* HALLERVS *Iconem* VAILLANTII *Tab. 19. f. 3.* ad IVNGERMANNIAM *furcatam* refert. Sed certe haec, nec ad IVNGERMANNIAM *furcatam*, nec prorsus ad

ad IVNGERMANNIAM pertinet. Ipſe *illuſtris vir* poſtea VAILLANTII *iconem* ad ſuam IVNGERMANNIAM fronde plana, pinnata, dichotoma; ramulis breuiſſime bicornibus *Hiſt. T. III. pag. 64. n. 1886.* retulit. Haec IVNGERMANNIAE *furcatae* valde ſimilis eſt, quae tamen medio neruo frondes percurrente ſatis diſtinguitur. Quum vero nec *ill.* HALLERVS, nec DILENIVS, nec VAILLANTIVS flores IVNGERMANNIAE in hac planta viderint, et porro iſtam in aquis legerint, nullum remanet dubium, illam non ad IVNGERMANNIAM, ſed ad RICCIAM pertinere, et quidem RICCIAM *fluitantem* ſiſtere. Quoad ſynonima, quae HALLERVS ad ſuam plantam retulit, mecum etiam conſentiunt LINNAEVS, NECKER. A IVNGERMANNIA alienam plantam eſſe, ſentiit olim ipſe HALLERVS, quum CONFERVAM planifoliam, dichotomam in *Enum. p. 1. Sp. 1.* vocaſſet. Eandem enim eſſe, quam nunc IVNGERMANNIAM facit, ex loco natali adiecto ſtagnis nimirum Fridlingenſibus, patet. Accedit, quod in *Hiſtoria* ſub RICCIIS eius nullam faciat mentionem.

Synon. et deſcr. WEIS *Crypt. p. 108.*

β. IVNGERMANNIA *furcata, maxima.*

Inſignis varietas eſt, frondibus multo latioribus, MARCHANTIAE fere ſimilibus, quam hinc inde ad rupes ſyluarum Hercynicarum legi, imprimis prope Braunlage. Frondes molles, nervus medius, co or ex luteo viridis, tandem fructificatio, a IVNGERMANNIA *furcata* diuerſam non eſſe demonſtrant. Et in Heluetia maximam

et

et sui dissimilem varietatem *ill.* HALLERVS legit, quam eandem cum mea puto.

* 224. IVNGERMANNIA *pusilla.*

Iungermannia acaulis, fronde subpinnatifida; lobis imbricatis; perichaetio plicato. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1602. Sp. 28. Syst. veg. pag. 803. Sp. 28.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 66. Sp. 28.* SCHMIED. *Diss. p. 13.*

Iungermannia *(pusilla)* surculis breuissimis, apice floriferis; foliis imbricatis, antice crenatis; cauliculo subtus villoso. SCHREB. *Spic. p. 107. n. 1085.*

Iungermannia foliis palmatis, digitatis, ex basi florifera. HALL. *Emend. III. n. 79. Hist. T. III. p. 64. n. 1887.*

Lichenastrum exiguum, capitulis nigris, lucidis, e cotylis paruis nascentibus. DILL. *Hist. p. 513. Tab. 74. f. 46.*

Lichen minimus, capitulis sphagnoideis, ex acetabulis egredientibus. DILL. *Cat. Giess. p. 211.*

DIAGN. Ex SCHREBERI *descriptione desumenda.*

LOC. NAT. Copiosa occurrit in agris *hinter der Maschmühle.*

OBS. Nihil adnotaui, nisi plantam meam cum DILLENIANA figura exactissime conuenire. Florentem reperi autumnali tempore post peractam messem.

Miror *Celeb.* NECKERVM in *Hiſtoria ſua muſcorum* huius nullem plane mentionem feciſſe.

MARCHANTIA.

226. MARCHANTIA *polymorpha.*

LINN. *Syſt. veg. p. 804. Sp.* 1. CRANTZ *Inſt. T. I. p. 60. Sp.* 1.

Marchantia *(polymorpha)* ſeminis analogo Scobiformi; primordialibus marginalibus. NECK. *Meth. p. 115. Sp. 1.*

Marchantia *(polymorpha)* perichaetio femineo orbiculato, integro; maſculo nullo. NECK. *Del. p. 487. Sp. 1.*

Marchantia *(polymorpha)* cauitate marginata, integra; pileis ſtipitatis ſtellato multifidis. NECK. *Act. pal. T. II. pag. 448.*

DIAGN. Calix gemmiferus, ſerratus, pileus 5—10 fidus, ſubtus 5—10 locularis.

LOC. NAT. Locis vliginoſis, et ad fontes Hercyniae vbique reperitur.

OBS. „Deſunt certae obſeruationes, quae „doceant, ex MARCHANTIA *vmbellata* naſci „*ſtellatam*, vel e contra" ait *Ill.* SCOPOLI *(Flor. Carn. 2. T. II. p. 354.)* ideoque *polymorpham* in duas ſpecies, alteram *ſtellatam (l. c. p. 353. n. 1354.)* alteram *vmbellatam (p. 354. n. 1355.)* diſpeſcuit. LINNAEVS, NECKER, WEIS, et nunc etiam HALLERVS vtramque coniunxerunt, et ego

ego in aduerſariis meis lego, *ſtellatam* certiſſime ex *vmbellata* naſci. Qui diuerſas mauult habere *ſtellatam* ſetis pilis adſperſis, et pileo laciniato ab *vmbellata*, quae ſetas glaberrimas et pileum integrum gerit, facile diſtinguet.

Numerus pariter laciniarum pileoli maxime vaciat. Recte igitur, vt mihi videtur, *Cel.* WEIS MARCHANTIAM fronde aequabili, cyathis ſerratis; bacillis vmbellatis et ſtellatis octofidis HALL. *Hiſt. T. III. p. 66. n. 1892.* ad hanc reduxit.

Vtriusque deſcript. et ſynon. WEIS *Crypt. p. 132. 133.* habet.

* 227. MARCHANTIA *triandra.*

Marchantia pileo hemiſphaerico, integro, triloculari. SCOP. *Carn. 1. p. 119. Sp. 3. Carn. 2. T. II. p. 354. n. 1356. Tab. 63.*

DIAGN. Calix gemmiferus nullus. Pileus integerrimus, hemiſphaericus, ſubtus triloculariſ.

A MARCHANTIA *hemiſphaerica* LINN. differt pileo integerrimo.

LOC. NAT. Inter muſcos abſconditur in rupibus prope Scharzfeld, imprimis *hinter der alten Kirche*, illa plaga, quae arcem Scharzfeld reſpicit.

DESCR. Ex indigenis MARCHANTIIS minima eſt. Surculi ſeſquunciales ad ſummum vnciales, iuniores ſimplices, profunde diuiſi; adultiores dichotomi, margine pellucidi, vndulati,

dulati, albicantes, in medio linea obſcure viridi notati. Color verſus apices et margines ſaepius in laete purpureum mutatur. Superficies ſuperior punctulis adſperſa eſt, quae vero areolis venoſis cinguntur nullis. Inferior in medio tenui et alba lanugine terrae affigitur. Setae ex apice et baſi ſurculorum erumpunt, glaberrimae, iuniores ad baſin adultiores, totae purpureae. Longitudo ſetarum bilinearis plerumque, lineas tres non excedit. Pileus integerrimus, hemiſphaericus, adultior planior, ſubtus trilocularis. Calyx ſic dictus faemineus nullus. Florentem menſe Octobris reperi.

OBS. Setae ex apice ſurculorum tantummodo erumpunt in plantis SCOPOLIANIS.

MARCHANTIAE *hemiſphaericae* noſtra planta omnino valde affinis eſt, quacum conuenit ſtructura ſurculorum, punctis venis nullis cinctis, colore ſaepius purpureo, defectu calycis gemmiferi. Sed vere differt pileo, qui in *hemiſphaerica*, in quatuor, quinque imo ſaepius ſex lacinias diuiſus eſt, totidemque ſubtus loculos fouet.

* 228. MARCHANTIA *quadrata.*

Marchantia pileo hemiſphaerico, ſemiquadrifido, quadriloculari. SCOP. *Carn. 1. p. 120. Sp. 4. Carn. 2. T. II. p. 355. n. 1357. Tab. 63.*

DIAGN. Pileus tetragonus, quadrifidus, ſubtus quadrilocularis.

A MAR-

A MARCHANTIA *androgyna* differt ſurculis firmioribus, non exacte linearibus, ab *hemiſphaerica* ſurculis venoſis et pileo.

LOC. NAT. Cum *priori* iisdem locis legi, multo vero copioſiorem.

DESCR. Surculi *priori* admodum ſimiles ſunt, ſed, adultiores ſaltem, multo firmiores et maiores, in quibus etiam puncta areolis venoſis cinguntur, quae tamen in iunioribus vix conſpiciuntur. Setae glaberrimae, verſus apicem, ſaepius etiam baſin ſurculorum erumpunt, bi-trilineares, initio virides, dein purpureae, quae terminantur pileo rudi, quadrato, primo aſpectu integro, accuratius autem ſcrutato, quadrifido, laciniis irregulariter crenatis, ſuperne ſaepius purpureo, ſubtus quadriloculari. Sic plantam menſe Octobris reperi, nec tunc calyces gemmiferos obſeruaui, quos patinas fuſco-rubras eſſe *Ill.* SCOPOLI (*l. c.*) adnotauit.

OBS. Proximam eſſe MARCHANTIAE *androgynae Ill.* SCOPOLI perhibet, ſed ab hac ſurculis inſigniter differt. Potius ad *hemiſphaericam* accederet.

* 229. MARCHANTIA *conica.*

Marchantia calyce communi quinqueloculari, ſubouato. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1604. Sp. 6. Syſt. veg. p. 804. Sp. 6.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 61. Sp. 6.* SCHREB. *Spic. p. III. n. 853.*

Marchantia verrucis asperis; capitulis conicis. HALL. *Hist. T. III. pag. 65. n. 1889.*

Marchantia (*conica*) seminis analogo subrotundo; primordialibus subarticulatis. NECK. *Meth. p. 115. Sp. 2.*

Marchantia (*conica*) calyce communi semiouato; perichaetio femineo orbiculato et marginato. NECK. *Del. p. 486. Sp. 2.*

Marchantia (*conica*) pileo semiouato; cavitate orbiculata marginataque. NECK. *Act. Pal. T. II. p. 448.*

Marchantia (*conica*) pileo conico, integro. SCOP. *Carn. 1. p. 120. Sp. 5. Carn. 2. T. II. p. 355. n. 1358.*

Iungermannia nemorosa, pediculo altissimo, tenerrimo et candicante. HALL. *Ien. p. 405.*

Lichen vulgaris maior, pileatus et verrucosus. DILL. *Hist. p. 516. T. 754. f. 1.*

Lichen petraeus, caulículo pileolum sustinente. C. BAUH. *Pin. p. 362.* DILL. *Cat. Gieff. p. 210. App. p. 78. Tab. 1.*

Lichen Plinii primus et pileatus. COL. *Ecphr. 1. p. 330.* (cum icone.)

Hepatica pileata et stellata. VAILL. *Bot. Par. p. 98. n. 4.* et Hepatica reticulata et verrucosa. VAILL. *Bot. p. 97. n. 3. Tab. 33. fig. 8.*

Hepa-

Hepatica vulgaris maior vel officinarum Italiae. MICH. *Nov. Gen. p. 3. n. 1. Tab. 2. f. 1.*

Icon OEDER. *Flor. Dan. Tab. 274.*

DIAGN. Dioica furculi areolis papillulas cingentibus distincti. Setae longae, ortae ex perichaetio cauo, terminatae pileo conico, subquinqueloculari.

LOC. NAT. Occurrit ad rupes prope Scharzfeld, ad saxa Bructeri, rarius in turfosis Bructeri.

DESCR. Surculi longi, laete virescentes, proliferi, dichotomi, sinuati, pustulis prominentibus, albidioribus adspersi, quae areolis cinguntur venosis, in humida planta imprimis conspicuis. Linea media surculorum insignis, subtus de more gentis gerit lanuginem radicalem. Setae versus apices surculorum ex amplo, cauo, subcrenato perichaetio erumpunt, vnciales, biunciales, candidae. Pileolus ex viridi flauus, aetate rufus, conicus, extinctorii formam optime refert, vtplurimum quinquelocularis est, totidemque crenis ad marginem diuiditur; reperi tamen etiam sex, septem, rarius octolocularem. Ex hisce loculis flores prorumpunt pedunculati, iuniores virescentes, adultiores brunnei coloris, mediatenus quinquefidi, rarius quadrifidi, intus fouentes lanuginem polliniferam. Calyces faeminaei in distinctis plantis reperiuntur, vndique sparsi, qui constant verrucis, magnis, integerrimis hemisphaericis, in plana superiori superficie gemmiferis.

OBS. Flores descripti per hanc speciem transitum ex MARCHANTIA in IVNGERMANNIAS constituunt. Dubitauit DILLENIVS, an flores isti a VAILLANTIO et MICHELIO iamiam depicti, reuera adsint, quod e saepius repetita autopsia confirmare possum.

Calyces gemmiferi certissime in distincta planta semper obseruantur, perperam igitur eidem individuo a MICHELIO appinguntur.

Caueant tyrones, ne ex gemmis, quae imprimis in non florentibus speciminibus ad apices surculorum copiolae inueniuntur, et ex quibus noua folia pronascuntur, plantam ad aliud genus TARGIONIAM v. c. pertinere existiment.

* 230. MARCHANTIA *androgyna.*

Marchantia calyce communi integro, hemisphaerico. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1605. Sp. 7. Syst. veg. p. 804. Sp. 7.* CRANTZ *Inst. T. I. pag. 61. Sp. 7.*

Marchantia *(angustifolia)* pileo hemisphaerico, frondibus partialibus lineari-dichotomis. NECK. *Meth. p. 117. Sp. 5.*

Lichen pileatus angustifolius, dichotomus. DILL. *Hist. p. 520. Tab. 75. f. 3.*

Hepatica minor angustifolia, capitulo hemisphaerico. MICH. *Gen. p. 3. Tab. 2. fig. 3.*

DIAGN.

DIAGN. Surculi lineares, dichotomi, punctis et areolis notati.

LOC. NAT. Mea ſpecimina legi in introitu ſpeluncae Baumannianae.

DESCR. Surculi teneri, diaphani, lineares, dichotomi, ad apices integri aut leuiter emarginati, ad margines ſaepius integerrimi, et vix ſinuati, laete vireſcentes, linea media nigricante diuiſi, papillulis et areolis pariter ac *conica* ſuperne notati, multo vero minoribus.

Florentem, ſaepiſſime quamquam in dicto loco quaeſitam, numquam reperi. In *icone* DILLENII video ſetas ad extremitates ſurculorum, absque perichaetio prodeuntes, ſemunciales, vnciales; pileolum conicum, (in iuniori ſtatu vt videtur depictum, haemiſphaericum enim faciunt MICHELII *icon* et autorum deſcriptiones,) calyces gemmiferas in media linea diſperſas, rotundatas, quae oblongae ſunt in *icone* MICHELIANA, minus recte vti DILLENIVS ex autopſia affirmat.

BLASIA.

* 231. BLASIA *puſilla.*

LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1605. Syſt. veg. p. 804.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 61.*

Blaſia fronde lobata, lobis ſubrotundis, neruis ſetiferis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 57. n. 1857.*

Blaſia puſilla Lichenis pyxidati facie. MICH. *Gen. p. 14. T. 7*

Mnium Lichenis facie. DIEL. *Hist. pag. 257. Tab. 31. f. 7.*

Icon. SCHMID. *Diss. de Blasia.* OEDER *Dan. T. 45.*

LOC. NAT. Amat terram argillosam et limosam. Copiosa est in syluis inter Elbingen et Pöhlde, prope Scharzfeld, Goslar, Andreasberg. Ni falior etiam probe Kerstlingeroderfeld versus *die Bruck* a me lecta est.

Quod descriptionem attinet conferatur instar omnium *Ill.* SCHMIDELII *Diss. de Blasia* *), qui, etiam plantam et plantae partes nitidissimis iconibus repraesentauit. Quare hoc genus in *Methodo muscorum* omisit *Cel. de* NECKER?

RICCIA.

OBS. Quod de floribus masculis et foemineis perhibent autores, de eo ego nihil reperi.

* 232. RICCIA *minima.*

Riccia frondibus glabris, bipartitis, acutis. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1605. Sp. 2. Syst. veg. p. 804. Sp. 2.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 68. Sp. 2.* NECK. *Meth. p. 43. Sp. 5.*

Riccia minima nitida; segmentis acutis. MICH. *Gen. p. 107. Tab. 57. fig. 6.*

Lichen

*) CAS. CHRISTOPH. SCHMIDEL, Resp. Jo. CHRISTOPH. ZIMMERMANN Diss. *De Blasia.* Erlangae 1759.

Lichen omnium minimus, foliolis sciſſis, ſuper terram expanſis. DILL. *Cat. Gieſſ. p. 210. Hiſt. p. 534. T. 78. f. 11.*

DIAGN. Frondes anguſtiſſimae, glabrae, ad apices acutae.

LOC. NAT. Ad terram argilloſam in ſyluis prope Pöhlde, rarius in agris prope Harſte.

DESCR. Frondes ex omnibus RICCIIS anguſtiſſimae et breuiſſimae, ſaepius vix lineam excedunt, colore gaudent laete viridi, in maioribus ſpeciminibus dichotomae, ad apices emarginatae ſegmentis acutis, aut ſimpliciter acutae. In ſubſtantia frondium imprimis verſus baſin, menſe Octobris globuli virideſcentes, dein fuſci, demum nigricantes.

OBS. Planta MICHELII a DILLENIO, LINNAEO, NECKERO huc refertur. Sed fateor, ex icone MICHELIANA plantam vix agnoſci, quae frondes iuſto multo latiores repraeſentat. Icon DILLENIANA optima eſt.

Quid eſt RICCIA minima anguſtifolia cineritia, ſegmentis craſſis, non ſulcatis MICH. *Gen. p. 107. Sp. 6. Tab. 57. fig. 8.* DILL. *Hiſt. p. 535. Tab. 78. fig. 13?* Huius et RICCIAE *Tab. 57. fig. 6.* Icones MICHELII inter ſe comparatae reuera non differunt. Anne igitur forte mera eſt varietas RICCIAE *minimae?* Icon autem DILLENIANA RICCIAE *minimae* omnino diuerſa eſt, ſed iam monui figuram MICHELII habitum plantae noſtrae nequaquam exprimere. Aut igitur neutra MICHELII figura huc pertinet, aut vtraque male depicta eſt.

Sicut

Sicut omnes RICCIAE a MICHELIO male depictae sunt.

* 233. RICCIA *glauca.*

Riccia frondibus glabris, canaliculatis, bilobis, obtusis. LINN. *Spec. Plant. T. I. p. 1605. Sp. 3. Syst. veg. p. 804. Sp. 3.* CRANTZ *Inst. T. I. pag. 68. Sp. 3.* SCHREB. *Spic. p. 111. n. 1091.* NECK. *Del. p. 498.*

Riccia (*glaucà*) fronde bilobata, obtusa, superne sulcata. NECK. *Meth. p. 42. Sp. 3.*

Riccia fronde sulco diuisa, lobis bifurcatis, lobulis lanceolatis obtusis. HALL. *Hist. T. III. p. 67. n. 1897.*

Riccia minima pinguis; foliis latiusculis, ample sulcatis, e glauco virescentibus. MICH. *Gen. p. 107. n. 2. Tab. 57. f. 4.*

Lichen minimus, foliis venosis, bifariam vel trifariam se diuidendo progredientibus. MORIS. *Hist. P. III. pag. 623. n. 5.* DILL. *Hist. p. 533. Tab. 78. fig. 10.*

Lichen terrestris minor, foliis rutae. BVXB. *Cent. II. p. 10. T. 5. f. 5.*

Hepatica palustris bifurcata, lobis breuioribus, carinatis. VAILL. *Bot. p. 98. T. 19. f. 1.*

DIAGN. Ex descriptione Ill. HALLERI *petenda.*

LOC.

LOC. NAT. Copioſam legi autumnali tempore in agris *hinter der Maſchmühle*, cum RICCIA *criſtallina.*

DESCR. Frondes ex albido vireſcentes, craſſiusculae, pingues, glaberrimae, ratione totius plantae, latae, ſuperne notabili ſulco notatae, ſaepius dichotomae, ad apices diuiſae, laciniis obtuſis. Fructificatio prioris.

OBS. DILLENIANA figura iterum optima eſt, cui illa a VAILLANTIO imprimis ſub *Lit. a.* data, vix poſtponenda, MICHELIANA peſſima, tam quoad habitum, quam magnitudinem inſigniter auctam, BVXBAVMIANA non multo melior, apparet tamen ex deſcriptiuncula hanc plantam voluiſſe.

RICCIAM minimam, ſegmentis breuioribus, et obtuſioribus, profunde ſulcatis MICH. *Gen. p. 107. n. 7.* DILL. *Hiſt. p. 535. T. 78. f. 14. Perill.* HALLERVS dubie ad RICCIAM *glaucam* refert, quae omnino nulla alia videtur niſi *glauca* male depicta, et reuera huius icon in multis cum *glauca* melius, conuenit, quam illa *Tab. 57. f. 4.*

β. RICCIA *glauca, ciliata.*

Riccia minima glauca, ſegmentis anguſtioribus, ad margines piloſis. MICH. *Gen. p. 107. n. 3. T. 57. f. 5.*

DIAGN. Habitus prioris. Frondes ad margines albis pilis ciliatae.

LOC. NAT. Cum priori legi, non minus copioſam in agris *hinter der Maſchmühle.*

OBS.

OBS. Plantam MICHELII a RICCIA *glauca* non aliter, quam radicibus foliorum marginibus adscriptis differre autumauit DILLENIVS, sed omnino vera planta est, quae vero, an *glaucae* mera sit varietas, in diuersa aetate spectata, an potius, vt mihi videtur, distincta species, determinare nolo, quum de eo certi nihil in aduersariis adnotauerim. De ciliis istis certe nullus auctorum in *glauca* aliquid obseruauit. Quum autem habitus, color magnitudo omnino cum *glauca* conueniat, interim huius varietatem facio, donec verane esse speciem aut meis, aut aliorum obseruationibus confirmetur.

Icon MICHELII iterum iusto multo maior est.

RICCIA fronde reticulata, aequabili, lobis bipartitis et tripartitis, lobulis triangularibus HALL. *Hist. T. III. p. 67. n. 189.* diuersa a nostra videtur, quamquam in multis conueniat, et icon MICHELII *Tab.* 57. *fig.* 5. (cui ex errore RICCIA minima pinguis, adspergine cristallina perfusa, quam *fig.* 7. exhibet, adscripta est) ab *Ill.* HALLERO, dubie quidem, ad illam referatur.

* 224. RICCIA *natans.*

Riccia frondibus obcordatis, ciliatis. LINN. *Syst. veg. p. 804. Sp.* 5.

Riccia *(natans)* fronde obcordata, marginibus ciliata. NECK. *Meth. p. 43. Sp. 4.*

Lichen paruus, vernus, cordiformis, ima parte fimbriatus, Lentis palustris modo aquae innatans. DILL. *Hist. p.* 536. *T. 78. f. 18.*

Lens

Lens paluſtris, Roris ſolis foliis cordatis. PETIO. *Muſ. n.* 652.

DIAGN. Frons obcordata aut obouata, ſubtus fuſca, radiculis obducta.

LOC. NAT. Verno tempore inter *Lemnas* occurrit ad ripas prope Raſemühle.

DESCR. Frondes obcordatae, ſaepius tamen obouatae tantum absque omni inciſione ſupernae glabrae, laete virides, margine integerrimae, inferne obſcure fuſcae, tectae crebris et craſſiuſculis radiculis, quibus aquis innatant, in iunioribus margines praeſertim, in adultioribus totam ſuperficiem tenentes tectae. Fructificationem non vidi.

OBS. Margines huius RICCIAE ciliatas eſſe perhibent LINNAEVS, NECKER, DILLENIO vt videtur eo deducti, quales vero reuera non ſunt, ſed tantummodo radiculis marginalibus ſaepius explanatis illam faciem debent. Ita ſaltim in meis ſpeciminibus rem obſeruo.

RICCIA *(fluitans)* frondibus dichotomis, lineari filiformibus LINN. *Syſt. veg. p. 804. Sp. 4.* ni fallor a me inter LEMNAS in foſſis *beym Schützenhauſe* lecta eſt. Quum vero iſtam inter muſcos Goettingae collectos non inueniam, fat erit hoc indicaſſe.

ANTHO-

ANTHOCEROS

* 225. ANTHOCEROS *punctatus.*

Anthoceros frondibus indiuiſis, ſinuatis, punctatis. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1606. Sp. 1. Syſt. veg. p. 805. Sp. 1.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 67. Sp. 1.* NECK. *Del. p. 499. Sp. 1.*

Anthoceros *(punctatus)* fronde integra, ſuperne punctata. NECK. *Meth. pag. 43. Sp. 1.*

Anthoceros *(punctatus)* fronde criſpa, ſinuato-laciniata. SCHREB. *Spicil. p. 110. n. 1090.*

Anthoceros minor, foliis magis carinatis, atque eleganter crenatis, ſubtus incurcuatis. MICH. *Gen. p. 11. Tab. 7. fig. 2.*

Anthoceros foliis minoribus, magis laciniatis. DILL. *Hiſt. p. 476. T. 68. f. 1.*

Icon OEDER *Dan. Tab. 396.*

DIAGN. Frondes ſinuato-laciniatae, in ſuperficie fouent puncta nigra.

LOC. NAT. In ſylua prope Pöhlde, cum RICCIA et BLASIA.

OBS. MICHELIANA planta a LINNAEO, SCHREBERO, NECKERO et DILLENIO huc refertur. Ex deſcriptiuncula etiam patet hanc plantam voluiſſe. Sed icon minime conſen-

consentit. Frondes in illa tantummodo crenatae sunt, vt in *laeui*, nec sinuato-laciniatae et crispae, taceam, quod omnia iusto maiorem repraesentata sint, ita vt ex icone ANTHOCEROTEM *minorem* MICHELII, puram esse varietatem ANTHOCEROTIS *laeuis* L. omnino credideris.

* 226. ANTHOCEROS *laeuis.*

Anthoceros frondibus indiuisis, sinuatis, laeuibus. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1606. Sp. 2. Syst. veg. p. 895. Sp. 2.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 67. Sp. 2.* HALL. *Hist. T. III. p. 67. n. 1893.*

Anthoceros *(laeuis)* fronde sinuata, integra, obtusa. NECK. *Meth. p. 44. Sp. 3.*

Anthoceros *(laeuis)* fronde plana crenata. SCHREB. *Spicil. p. 110. n. 1089.*

Anthoceros maior. MICH. *Gen. p. 11. Tab. 7. f. 2.*

Anthoceros foliis maioribus, minus laciniatis. DILL. *Hist. p. 476. Tab. 68. fig. 2.*

Lichen paruus; capitulis hypnoideis, clauatis. DILL. *Cat. p. 211.*

Lichen hepaticus, pediculis gramineis. BVXB. *Cent. I. p. 40. T. 61. f. 1.*

Icon. SCHMID. *Ic. Tab. 19.*

DIAGN. Frondes laeues imbricatae, obtuse lobatae, crenato-sinuatae.

LOC. NAT. Occurrit cum priori in ſylua prope Pöhlde. Copioſiſſima etiam reperitur autumnali tempore in agris *hinter der Maſchmühle*, rarius circa *die Bruck*.

OBS. BVXBAVMII icon vt ſolet in plantis minoribus peſſima eſt, MICHELIANA bona, ampliata tamen magnitudine, SCHMIDELIANA optima.

LICHEN.

OBS. LICHENEM etiam modice in rebus botanicis tantum verſatus, facile dignoſcit. Character autem bonus, certus, ſatisque diſtinctus hucusque a nullo auctore datus, et vix dandus, niſi hoc genus in plura iterum diuidatur. Quod tamen nolunt recentiores fere omnes. A natura iunctos eſſe omnes LICHENES concedam, ſed et *vmbelliferae* fere omnes a natura iunctae, et HYPNVM BRYVMQVE genera mere artificilia ſunt, a natura non conſtituta. Quis tamen neget ad facilitandam harum plantarum cognitionem, iſtas in plura genera diuidendas eſſe?

Subdiuiſionum characteres animaduerſionibus ſuis optime illuſtrauit *Cel.* WEIS.

* LEPROSI TVBERCVLIFERI, TVBERCVLIS SESSILIBVS.

Conf. WEIS *Crypt. p. 36.* (PLACADIVM) DILL. *Hiſt. p. 96.* LVDW. *Gen. p. 484.*

227. LICHEN *ſcriptus.*

LINN. *Syſt. veg. p. 805. Sp. 1.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 68. Sp. 1.* SCHREB. *Spicil.*

Spicil. p. 138. n. 1142. SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 361. n. 1367.*

Lichen *(scriptus)* cinereo albidus; lineolis characteriformibus, diuaricatis. NECK. *Meth. p. 45. Sp. 1.*

DIAGN. Cruſta albida. Tubercula ſunt lineae atrae ſimplices aut ramoſae.

LOC. NAT. Ad cortices arborum omnis generis reperitur.

OBS. Tubercula maxime variant in vno eodemque ſpecimine, vt vix verae varietates inde conſtitui poſſint. Praecipuas determinauit *Ill.* HALL. *Hiſt. p. 101. n. 2079.* Sed cruſta duas diſtinctas varietates conſtituit, quae ſunt

α. Cruſta tenuiſſima.

Vulgaris planta vt ab omnibus autoribus deſcribitur.

β. Cruſta calcarea, craſſiori.

Quae ad cortices *Abietum* in ſyluis Hercynicis imprimis prope Altenau frequenter occurrit. Similis etiam ſaepius in *cortice peruuiano* reperitur, quae cruſta albiſſima gaudet.

Synon. et deſcript. WEIS *Crypt. p. 37.*

228. LICHEN *geographicus.*

LINN. *Syſt. veg. p. 805. Sp. 2.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 68. Sp. 1.* SCHREB. *Spicil. p. 138. n. 1143.*

Lichen *(geographicus)* flauicundus mappiformis, lineolis ramoſis, punctis atris intermixtis. NECK. *Meth. p. 46. Sp. 2.*

DIAGN. *Petenda ex descriptione* NECKERI.

LOC. NAT. Omnia saxa Bructeri latissimis crustis obducit. Praeterea multis aliis locis ad rupes non rara est, v. c. in scopulis arenosis arcis Regenstein, in schisto prope Goslar et alibi.

OBS. Variabilis planta. Quae in lapidibus arenosis v. c. prope arcem Regenstein, crescit vt plurimum tenerior esse solet, tuberculis regularibus. Aliam coram video, in cuius crusta tenera, nigra, quod viridis inest, omnino pro scutellis habeas. Adulta planta rursus alia, cuius statum descripsit *Cel.* WEISSIVS *Crypt. p. 39.*

An igitur vere differt LICHEN *(atrouirens)* Leprosus viridis, margine tuberculisque atris. LINN. *Syst. veg. p.* 805. *Sp.* 7? Vix videtur.

An forte et huius loci est LICHEN crusta nigerrima, verrucosa, papillis maximis flauis. HALL. *Hist. T. III. p.* 101. *n.* 2075?

Nonne denique adultiorem statum denotat Lichen crusta inseparabili farinosa, cinerea, villosa, scutellis atris. HALL. *Hist. Tom. III. p.* 100. *n.* 2064? Ita visum est *Cel.* WEIGELIO *(Obs. bot. p. 38. Obs. 27.)* Sed forte potius ad sequentem pertinet.

* 229. LICHEN *confluens.*

Lichen crustaceus saxatilis, farinaceus, rimosus et veluti tesselatus, excinereo albicans, vulgatissimus, receptaculis florum nigris. MICH. *Gen. p.* 103. *n.* 20. *T.* 54. *fig.* 7.

An Lichen crusta inseparabili etc. HALL. *Hist. T. III. p.* 100. *n.* 2064?

Icon

Icon *propria.*

DIAGN. Cruſta albida, aut cinerea. Tubercula aterrima, magna, conuexa, aetate confluentia.

LOC. NAT. Vulgaris planta in ſaxis imprimis circa Andreasberg et Bructeri.

DESCR. Cruſta craſſa, disfracta alba, in ſuperficie albida, ſed cum aliquo nigrore. Tubercula aterrima, cruſtae immerſa, in iuniori aetate puncta repraeſentant, mox maiuſcula fiunt, lentis magnitudinem excedentia, conuexa, irregularia, tandem confluunt, et ſaepius latas maculas efficiunt, ita vt cruſta plane abſcondatur. Madida nitent. Disfracta aterrima ſunt.

OBS. Maximis difficultatibus LICHENVM *leproſorum* hiſtoria adhuc ſubiicitur, et in multis vix determinari poteſt, ad quosnam auctorum pertineant. Idem in *confluente* mihi contigit, vulgari ſatis planta, quam etiam in Holſatia ad vias ſaepius reperi. Figura DILLENII LICHENIS *ſanguinarii* LINN. ſatis conuenit. Sed tubercula iſtius diffracta rubra ſunt. Nec ex toto recedit LICHENOIDES tartareum farinaceum, ſcutellarum vmbone fuſco. DILL. *Hiſt. p.* 132. *T.* 18. *f.* 12. Sed in meo nec ſcutella excauata, nec marginata ſunt. Miror tamen iſtam plantam inter LINNAEANAS non reperiri, quum Vpſaliae habuerit DILLENIVS. Nomen LICHENIS cruſta tenace alba, ſcutellis ſeſſilibus atris. HALL. *Hiſt. T. III. p.* 98. *n.* 2051. *Tab.* 47. *f.* 6. omnino non repugnat, ſed diuerſum eſſe demonſtrat deſcriptio ab *Ill.* HALLERO

data, quae huic *Licheni* ſcutellas planas, oris albis tribuit.

EX HALLERIANIS maxime conſentit Lichen citatus *n. 2064.* et omnino omnibus computatis idem cum meo videtur. Diiudicent ex icone mea, an vere diuerſus, aut qualis ſit. *Lichenem* MICHELII citatum ad meum pertinere non eſt quod dubitem. Nomen optime conuenit, figura quidem non bona eſt, a iuniori ſtatu tamen non recedit. Hunc varietatem facit *Ill.* HALLERVS LICHENIS *ſui*, cruſta tenui farinoſa, rimoſa, punctata, ſcutellis atris. *Hiſt. T. III. p. 99. n.* 2055, cuius vero vberior deſcriptio cum noſtro nequaquam conuenit.

* 230. LICHEN *Oederi.*

Lichen leproſus ruber, tuberculis nigris OED. *Dan. Faſc. VIII. p. 8. T. 70. f. 1.*

DIAGN. Cruſta varians colore ex rubro et luteo varie mixto. Tubercula atra, ſicca planiuſcula.

LOC. NAT. In ſchiſti rupibus frequens eſt prope Andreasberg.

DESCR. Cruſta tartarea, craſſiuſcula, ſicca admodum rimoſa. Tubercula copioſa, cruſtae innata, atra, humida maxime conuexa, eleuata, et ſplendentia, ſicca planiuſcula, absque ſplendore, per lentem minuto margine cincta. Cruſtae color variat, ſemper tamen aliquatenus ad rubrum tendit. Inde natas vidi ſequentes varietates:

α. Cruſta ruberrima.

Pri-

Primum ab *Ill.* OEDERO indicata

β. Cruſta ex rubro et luteo mixta.

γ. Cruſta ad colorem croci martis accedente.

* 231. LICHEN *muſcorum.*

Lichen cruſtaceus, muſco plerumque innaſcens, polline cinereo veluti conflatus; receptaculis florum nigris. MICH. *Gen. p. 98. n. 41.*

DIAGN. Cruſta BYSSI *incanae. Tubercula copioſa, atra.*

LOC. NAT. Habitat in muſcorum ſtratis et arborum corticibus, ſubſtratis tamen ſemper muſcis. Reperta in muſcis prope Scharzfeld, et ad Abietum cortices prope Altenau.

DESCR. Cruſta parum cohaerens, farinoſa, BYSSO *incanae* LINN. omnino ſimilis, colore pariter varians cinereo, aut ex cinereo vireſcenti. Tubercula in ſiccioribus interdum planiuſcula, alias conuexa, nitentia, atra, copioſa, magna, aetate ſaepius turbinata.

OBS. Praeter MICHELIANVM certum ſynonymum reperire potui nullum. LICHEN quisquiliarum ſimilis, fronde cinerea; ramis brevibus, acutis; ſcutellis nigerrimis HALL. *Hiſt. T. III. p. 93. n. 2026.* omnino conſentit, ſi demas ramulos, quos quidem in meis etiam obſeruo, ſed a ſubſtratis muſcis ortos. LICHEN *muſcorum* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 365. n. 1375.* non eſt mea planta. Mea enim habet vera tubercula, nec ſcutellas. Recedunt etiam ſynonyma HALLERI

et MICHELII a SCOPOLIO ad ſuam relata. An forte *Var. 4.* LICHENIS *aeruginoſi* SCOP. *Carn. p. 262. n. 1368.* huius loci eſt? Sed noſtra planta vera ſpecies eſt, nec morboſo ſtatui tuberculorum nigredinem debet.

* 232. LICHEN *cruentus.*

Lichen cruſtaceus, tartareus, glaucus; ſcutis difformibus, planis, ruberrimis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 98. n. 2050.*

Lichen cruſtaceus, verrucoſus, cinereus; ſcutellis rubris. HALL. *Ien. p. 379.*

Icon *propria.*

DIAGN. Saxatilis. Tubercula rubra, aetate fuſca ſubmarginata, in cruſta glebuloſa ex viridi flaueſcente.

LOC. NAT. Mea ſpecimina legi ad ſaxa montis Bructeri. Imprimis copioſe occurrit in ſaxis eius partis Bructeri, qui vocatus *die Heinrichshöhe.* Iisdem locis et in M. Herzberg lectus fuit ab *Ill.* HALLERO *).

DESCR. Latis cruſtis obducit ſaxa. Cruſta nitens, rimoſa, ex glebulis magnis, granuloſis conflata, recens flaua eſt, tamen cum aliquo virore, mox virideſcit, glaucá fit, et tandem in vetuſtioribus albicans eſt, cui in adultioribus imprimis immiſcentur puncta nigra ſaepius eleuata, quae cum tuberculis non confundenda ſunt, quorum absque lente viſa referunt habitum. Tubercula e cruſta eleuata, irregularia, glaberrima, et nitida, iuniora parua ſunt, conuexa, nec tam euidenter margi-

*) *Flor. Ien. l. c.*

marginata, eleganter rubra, adultiora maiuſcula fiunt, plana, colore ſaturatiore, euidenter marginata, margine flaueſcente aut albicante, integro; vetuſtiora fuſca euadunt, etiam interdum in medio deprimuntur, ita vt ſcutellarum faciem fere aſſumant. Diſſecta intus alba ſunt, cortice rubro.

Cruſta a lapidibus abſciſſa, albiſſimum fundum habet, qui a Lichenis prioribus annis putrefacti, reliquiis, ortus eſſe videtur.

In vetuſtiſſimo ſtatu, cruſta in griſeam, etiam atro-viridem, et tubercula in atra, ſplendentia mutantur, itque tunc plantam vix agnoſcas.

OBS. LICHEN HALL. *n.* 2050. certe noſter eſt Iſtum duce *Cel. de* NECKER ad LICHENEM *(ochroleucum)* rugoſum, obſcure flaueſcentem; ſcutellis rubris, planiuſculis *Meth. p.* 52. *Sp.* 13. refert. Sed eidem etiam iungit Lichenem cruſtaceum, cinereum; ſcutellis immerſis, rubris SCOP. *Carn. 1. p. 85.* Nec ergo LICHEN *ochroleucus* NECKERI idem cum noſtro videtur. Accedit quod illi locum ſub cruſtaceis ſcutelliferis dederit. Non obiicias idem *Perill.* HALLERVM feciſſe, quum facile animaduertes ab illo nomen ſcutelli latiori ſenſu ſumi.

Credes forte a *cruento* non differre LICHENEM *(ventoſum)* Leproſum flauum; tuberculis rubris LINN. *Syſt. veg. p.* 805. *Sp.* 9. Sed LICHENEM HALL. *n.* 2050. (ergo et *cruentum*) diuerſum eſſe in *ventoſo* bene iamiam ſentiit HALLERVS et NECKER. Nec icon OEDERI *Flor. Dan. Tab. 472.* LICHENIS *ventoſi* cum noſtro conuenit, tubercula multo irregulariora, et cruſta magis flaueſcens eſt.

An LICHEN *(Heclae)* Leprosus, albus, venis et maculis in medio rubris; scutellis rubris OED. *Dan. Fasc. VIII. p. 8. Tab. 470. f. 2.* ad nostrum pertinet? ad quem dubie *Ill.* OEDERVS refert LICHENEM *(gelidum)* cruſtaceum, albicantem, peltis tuberculosis, rugosis, testaceis LINN. *Syst. veg. p. 806. Sp. 91;* qui cum adultiori statu LICHENIS *cruenti* satis consentit, sed descriptio in *Mant. I. p. 133. n. 91.* ab *Ill.* LINNAEO data minime conuenit.

* 243. LICHEN *Elueloides.*

Lichen cruſta tartarea, verrucosa, cinerea; scutellis carneis, planissimis. HALL. *Hist. T. III. p. 97. n. 2044.*

Lichen cruſtaceus, alpinus; lignis putridis adnascens, glaucus, receptaculis florum carneis, et tumentibus. MICH. *Gen. p. 98. n. 38.*

DIAGN. Cruſta glauco-virescens. Tuberculae sessilia; plana, adultiora vndulata.

VAR.

α. *Tuberculis ex albido carneis.*

β. *Tuberculis luteis.*

γ. *Tuberculis fuscis.*

LOC. NAT. In syluis Hercynicis vbique ad *Abietum* putridos truncos occurrit, etiam ad terram non rarus.

DESCR. Cruſta granulosa ex glauco virescens, in qua tuberculae sessilia, copiosa, initio parua, mox magna, plana, tandem turbinata, mar-

margineque undulata inueniuntur. Iuniora carnea sunt, sed cum multo admixto albo colore, dein imprimis post pluuiosas tempestates lutea euadunt, tandem fusca.

OBS. Tubercula huius LICHENIS numquam stipitata sunt, quibus et reliquis notis a LICHENE *ericetorum* et *fungiformi* insigniter differt.

LICHEN *(ericetorum)* leprosus, candidus; tuberculis incarnatis LINN. *Syst. veg. p. 806. Sp. 12.* SCHREB. *Spic. p. 134. n. 866.* albidus, tuberculis plano conuexis, sessilibus stipitatisque. NECK. *Meth. p. 49. Sp. 8.* LICHENEM *Elueloidem* cum LICHENE *ericetorum* iungit. Sed certe diuersus est.

Ad nostrum omnino pertinet LICHEN *(aeruginosus)* crustaceus; tuberculis sessilibus, planis; crusta verniciformi. SCOP. *Carn. 1. p. 78. Sp. 10. Carn. 2. T. II. p. 361. n. 1368.* Sequentes *vir ill.* varietates enarrat.

1. *Crusta alba, tuberculis carneis.*
2. *Crusta cinerea, tuberculis carneis.*
3. *Crusta glauco-virente, iisdem tuberculis.*
4. *Crusta cinereo-virente, tuberculis nigris.*

Sed LICHEN crusta farinacea, virescente, scutellis atris HALI. *Hist. T. III. p. 100. n. 2065.* quem ad quartam suam varietatem *Ill.* SCOPOLI refert, huc pertinere non potest, *Perill.* HALLERVS enim suae plantae scutella perexigua et pediculata descripsit.

* 244. LICHEN *cinereo-fuscus.*

Lichen crusta tenuissima, cinerea; scutellis fuscis. HALL. *Hist. T. III. p. 100. n. 2069.*

An Lichen crustaceus, arboribus adnascens; crusta cinerea, tenui, ex albo subcinerea; receptaculis florum atro-rufis, ad ferrugineum tendentibus. MICH. *Gen. p. 97. n. 25?*

DIAGN. Crusta cinerea, tenuis. Tubercula fusca plana, adultiora conuexa.

A LICHENE *ericetorum* et *fungiformi* differt tuberculis sessilibus; ab *Elueloide* crusta cinerea nec virescente, arboribus arcte adnata, et tuberculis adultioribus haud vndulatis.

LOC. NAT. Ad *Tilias* legi prope Clausthal et ad *Salices* prope Grohnde.

DESCR. Crusta ex albo cinerea, tenuis. Tubercula initio sparsa, plana et admodum minuta, aetate maiora fiunt, conuexa et congesta. Color tuberculorum fuscus, in adultioribus obscurior.

OBS. LICHENOIDES leprosum, tuberculis fuscis et ferrugineis. DILL. *Hist. p. 126. T. 18. fig. 4. Tab. 55. f. 8.* quoad descriptionem huc pertinet, figura utraque minus conuenit.

* 245. LICHEN *immersus.*

Lichen scutis in saxum immersis, nigris. HALL. *Hist. T. III. p. 101. n. 2076.*

Lichen

Lichen cruſtaceus ſaxatilis, farinaceus, ex albo ſubcinereus; (et cinereus) receptaculis florum exiguis, concauis et nigricantibus, ac in ſubſtantiam lapidis veluti infixis. MICH. *Gen. p. 97. n. 21 et 22.*

DIAGN. Cruſta tenuis. Tubercula parua, conferta, atra, lapidi immerſa.

LOC. NAT. Ad rupes calcareos circa *die Bruck.* Etiam in duriori lapide ex ſyluis Hercynicis attuli.

DESCR. Cruſta in plerisque tenuiſſima et vix viſibilis, interdum tamen paululum accreſcit. Color albiſſimus, cinereus, etiam virideſcens. In craſſioribus praeprimis albiſſimus eſt. Saepius totus LICHEN BYSSO *rupeſtri* obducitur, huiusque colore imbuitur. Tubercula atra, minuta, omnia aequalis fere magnitudinis, ita lapidi immerſa ſunt, vt, quum ſaepius euaneſcant, tamen in lapide profundae foueolae ab illis factae remaneant.

OBS. Rubellum cruſtae colorem obſeruauit *Perill.* HALLERVS. Non differre videtur LICHEN cruſtaceus, ſaxatilis, farinaceus, non verrucoſus, albus, receptaculis florum exiguis, nigricantibus, concauis et criſpis, ac in ſubſtantia plantae veluti infixis. MICH. *Gen. p. 97. n. 23.*

* 246. LICHEN *atro-albus.*

Lichen leproſus niger, tuberculis albis. LINN. *Flor. Suec. 2. n. 1064. Spec. Plant. T. II. p. 1607. Sp. 8.*

Lichen

Lichen leprosus niger, tuberculis atro alboque mixtis. LINN. *Syst. veg. pag. 805. Sp. 8.*

DIAGN. Crusta atra, saepius euanescens. Tubercula alba, submarginata.

LOC. NAT. Non rarus in saxis Bructeri.

DESCR. Crusta atra. Tubercula convexa, saepius margine crenulato cincta, congesta alba, nitida, in adultioribus sordide albescentia.

OBS. In meis speciminibus tubercula absque omni dubio alba sunt, et ab atra crusta satis distincta, *) nudaque absque omni crusta non raro inueniuntur. Forte crusta ad aliam plantam pertinet, et verosimile est, alius LICHENIS tubercula fuisse, quod *Ill.* LINNÆVS pro crusta habuit.

Cel. NECKERVS inter suos LICHENES non habet.

* 247. LICHEN *rupestris.*

Lichen tuberculis sessilibus, nudis. SCOP. *Carn. 1. p. 80. n. 14. Carn. 2. T. II. p. 363. n. 14.*

DIAGN. Crusta vix conspicua, aut nulla. Tubercula dura, glabra, puluinata SCOP.

LOC. NAT. Frequens in rupibus calcareis prope *die Bruck.*

DESCR.

*) Difficile dicere, quinam color constituat crustam. LINN. *Syst. veg. l. c.*

DESCR. Cruſta albeſcens, quam ſaepius vt recte adnotauit *Ill.* SCOPOLI, BYSSVS ſaxatilis penitus abſorbet. Tubercula admodum ſeſſilia, parua, glabra, conuexa, ſparſa vtplurimum, interdum confluentia.

Sequentes ego vidi varietates.

α. Tuberculis luteis.

Lichen cruſtaceus, ſaxatilis, cinereus, cruſta tenuiſſima; receptaculis florum exiguis, luteis. MICH. *Gen. p. 98. n. 39.*

β. Tuberculis rubicundis.

Lichen cruſtaceus, ſaxatilis, glaucus, tenuiſſimus, receptaculis florum exiguis, carneis. MICH. *Gen. p. 97. n. 26.*

γ. Tuberculis nigris.

Duas obſeruauit SCOPOLIVS

1. *Cruſta alba, tuberculis rufis.*
2. *Cruſta albida, tuberculis nigris.*

LICHENES *rugoſus*, *ſanguinarius*, *fuſco ater*, *carpineus*, *fagineus* et *calcareus* in ſylvis Hercynicis non rari ſunt. Poſterior in rupibus marmoreis prope Rübeland et verſus Blankenburg. Quos omnes optime deſcripſit et ſynonymis illuſtrauit *Cel.* WEIS in ſaepius citato libro.

LICHEN *ſcaber.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 365. n. 1376.* qui etiam ad noſtras arbores frequenter occurrit, mera varietas LICHENIS *fa-ginei* eſſe videtur.

** LEPROSI, CRVSTA AD FOLIACEAM NATVRAM ACCEDENTE (TVBERCVLIS SESSILIBVS.)

Cruſta tartarea, cohaerens, quae ad margines in lobulos finditur, et folia LICHENVM *imbricatorum* aemulatur. Tubercula in iuniori aetate ſaepius ſcutellarum figuram mentiuntur.

OBS. Notabilem tranſitum hi LICHENES ex *cruſtaceis* in *foliaceos*, vt et ex *cruſtaceis ſcutelliferis* in *cruſtaceos tuberculatos* conſtituunt.

Lichenes plerique ex *Ordine XXX.* MICH. *Gen. p. 94.* ad hanc ſubdiuiſionem pertinent.

* 248. LICHEN *lentigerus.*

Icon *propria.*

DIAGN. Cruſta foliacea, albida. Scutellulae albo marginatae, per aetatem in tuberculа conuexa, flaueſcentia mutantur.

LOC. NAT. Habitat in rupibus terra tectis, vtplurimum ſuper muſcis expanſus. Haud rarus eſt ad terram in adſcenſu ad rupes *die alte Kirche* dictos prope Scharzfeld.

DESCR. Cruſta albicans, tartarea, ſaepius cum aliquo virore, ſaepius candidiſſima, nitida, nitore porzellaneo (ſit venia verbo) in lobos diuiditur, et vere laciniata eſt, immo interdum imbricata, ita vt foliaceam ſtructuram perfecte aemuletur, quum tamen reuera tartarea ſit. Sin ob admixtum virorem, glaucum acquirit colorem, margines eleuati, albi ſunt. Cruſta iſta vtplurimum in roſulas orbiculares expanditur. Tum floret

tota

tota ſuperficies copioſiſſimis ſcutellulis adſpergitur, quae pro ratione magnitudinis, perparuae enim ſunt, valde concauae conſpiciuntur, margine albido, per lentem crenulato. Fundus vtplurimum cum ſuperficie cruſtae concolor eſt. Hae ſenſim ſenſimque magis eleuantur, planae fiunt, margine tamen adhuc conſpicuo, denique vero permagnae et conuexae euadunt, valdeque ſeſſiles, amiſſo nunc omni margine. Tunc color illarum ex carneo et flauo mixtus eſt, dein in ſtramineo-flaueſcentem, et tandem in pallide flaueſcentem tranſit, totaque ſuperficies quaſi lentibus inſtrata videtur, quorum magnitudinem, figuram minorum, etiam colorem optime ſaepius tubercula referunt, nunc enim ſcutellulae in vera tubercula mutatae ſunt. Interdum adhuc magis eleuantur, et turbinata fiunt, quod tamen rarius obſeruatur.

OBS. Peculiaris ſane LICHEN, qui, quantum ſcio, ab nullo alio auctore hactenus deſcriptus eſt. Huic tamen valde affinis eſt, ſed certe non idem, LICHENOIDES cruſtoſum, orbiculis et ſcutellis flauis. DILL. *Hiſt. p. 136. Tab. 18. f. 18.*

* 249. LICHEN *candidus.*

DIAGN. Cruſta albiſſima, ſublobata. Tubercula glauca caeruleſcentia.

LOC. NAT. Copioſus eſt ad rupes prope Elbingerode deſtructis muſcis inſtratus.

DESCR. Cruſta albiſſima, ſcabriuſcula, in perfectis ſpeciminibus ſemper lobata, lobis *prioris* in modum crenatis, deſtructis muſcis arcte inſertis. Tubercula irregularia, quae inſignem

magnitudinem non acquirunt, nigra reuera sunt, sed tenuissimo puluere semper obducta, glauco caeruleſcentem colorem adipiſcuntur.

OBS. Apud nullum auctorem ſynonymum reperio, cum hac diuerſiſſima ſpecie ſatis conueniens.

LICHEN ſaxatilis, vndulatus, niueus. HALL. *Hiſt. T. III. p. 94. n. 2029.* huc pertinere poteſt; forte etiam ad *priorem.* Eſſe enim eleganter vndoſum, niueum, leuem, alterne altiorem et depreſſiorem, ex cruſta tenace calcarea compoſitum perhibet *(l. c.)* Sed fructificationis analogon *vir ill.* vidit nullum.

* 250. LICHEN *candelarius.*

LINN. *Syſt. veg. p. 806. Sp. 13.*

Lichen *(candelarius)* cruſtaceus flauus; ſcutellis ſeſſilibus planis. SCOP. *Carn. 1. p. 81. Sp. 16. Carn. 2. T. II. p. 366. n. 1378.*

Lichen *(fuluus)* fronde ſubrotunda; germinante aſperiuſcula; primordialibus nudis cruſtaceo puluerulentis. NECK. *Meth. p. 51. Sp. 12.*

DIAGN. Cruſta lutea, iunior puluerulenta, adultior foliacea. Scutellae obſcurioris coloris per aetatem in tubercula, irregularia, confertiſſima mutantur.

LOC. NAT. Ad parietes, putridos *Abietum* truncos et ſaxa ſyluarum Hercynicarum copioſus.

OBS. Ex MICHELIANIS LICHENIBVS ſequentes huc pertinent omnes.

LICHEN

LICHEN pulmonarius, ſaxatilis, farinaceus, coloris aurantiaci, foliis magis appreſſis; receptaculis florum concoloribus. *Gen. p. 95. n. 14.*

LICHEN pulmonarius, ſaxatilis, farinaceus, luteus, vulgatiſſimus; foliis pulpoſis; receptaculis florum concoloribus. *Gen. p. 95. n. 15.*

LICHEN pulmonarius, ſaxatilis, farinaceus, ſulphureus, et mollior, receptaculis florum ex rubro aureis *n. 16.*

LICHEN cruſtaceus, alpinus, arboribus adnaſcens, luteus; receptaculis florum aureis. *Gen. p. 97. n. 27.*

LICHEN cruſtaceus, ſaxatilis; cruſta tenuiori, lutea; receptaculis florum ſaturato-aureis *n. 28.*

Forte etiam LICHEN cruſtaceus, polline tenuiſſimo eleganter virenti veluti conflatus; receptaculis florum aureis *p. 98. n. 40.*

Sed LICHEN fronde calcaria pulpoſa, miniata, laciniata; lobis linearibus. HALL. *Hiſt. T. III. p. 93. n. 2022.* qui LICHENOIDES tenuiſſimum, ſcutellis exiguis miniatis. DILL. *Hiſt. p. 175. T. 24. f. 68.* omnino differre videtur.

Candelarii ſyn. et deſcr. WEIS *Crypt. p. 46.*

*** LEPROSI TVBERCVLIS STIPITATIS.

251. LICHEN *ericetorum.*

Lichen cruſtaceus, albicans; tuberculis ſtipitatis carneis. SCOP. *Carn. 1. p. 76. Sp. 8. Carn. 2. p. 359. n. 1363.*

DIAGN. Pſeudo-cruſta albida, in tubercula exſurgens. Tubercula matura, ſtipitata, conſtanter carnea.

LOC. NAT. Terram imprimis argillosam amat. In syluis Hercynicis vbique occurrit v. c. prope Clausthal, versus Goslar et alibi.

DESCR. Terram obducit, in saxis enim numquam reperi, strato albido aut cinereo, ex multis constante glebulis. Huic strato fungilli, coloris incarnati constantis, immersi sunt, variae altitudinis et magnitudinis; iuniores enim sessiles, totique strato isto immersi videntur. Neque strati illius glebuli, structura, vt solent LICHENVM *leprosorum* verae crustae, a tuberculis diuersi sunt, sed nil aliud nisi capitula in fungos incarnatos istos dein exsurgentia. Tubercula conuexa, angulata, irregularia, intus alba cellulosa repleta, petiolo albo praedita.

OBS. Virideſcentem quidem etiam crustam vidi, quae tamen in istis saltem speciminibus, quae mihi obuia fuere, alienis caussis tribuenda erat.

OBS. Distincta omnino planta est, et a *sequente* et a LICHENE *Elueloide n. 243*, vt me iteratae obseruationes docent. A *fungiformi* iam insigniter differt natura crustae. Aliae diuersitates ex vtriusque descriptione patent.

Synonyma, quae *Cel.* WEIS *Crypt. p. 44.* sub LICHENE *ericetorum α.* attulit, huc pertinent, descriptio vero ad LICHENEM *Elueloidem.* Quae de synonymis LINNAEI et NECKERI monui, videantur sub LICHENE *Elueloide n. 243.*

* 252. LICHEN *fungiformis.*

Lichen crustaceus, cinereo viridis; tuberculis stipitatis, fuscis. SCOP. *Carn. 1. p. 76. Sp. 8. Carn. 2. p. 360. n. 1364.* Coral-

Coralloides fungiforme, saxatile, pallide fuscum. DILL. *Hist. p. 78. T. 14. f. 4.*

DIAGN. Crusta e glauco virideſcens. Tubercula ſtipitata, conſtanter fuſca.

LOC. NAT. Ad terram rarius, copioſius locis ſaxoſis occurrit. In ſyluis Hercynicis frequentem imprimis reperi ad ſchiſti rupes, prope Clausthal, Goslar, Andreasberg.

DESCR. Cruſta vera, e glauco virideſcens, glebuloſa. Ex qua fungilli ſurgunt variae magnitudinis. Petioli albidi, in plerisque compreſſi. (qui in *priori* potius teretes, ſaltim teretiuſculi ſunt, cum multo inſigniori candore) Hi ſaepius verſus apices diuiſi ſunt, aut ſaltim capitulis pluribus congeſtis terminantur. (Nec hoc in *priore* vidi) Quae planiuſcula ſunt, nec vmquam tam conuexa et rotundata, ac prioris capitula, quibus etiam ſemper minores manent. Color conſtanter fuſcus, in adultioribus obſcurior.

OBS. Pro varietate *prioris* adultiori habuerunt *Cel.* WEIS et alii, LICHENE *Elueloide* deducti, qui colore fuſco carneoque variat, et a multis cum LICHENE *ericetorum* confunditur. Ego in Holſatia per tres fere annos LICHENEM *fungiformem*, in vno eodemque loco natali, obſeruaui, et ſemper tam in iunioribus, quam adultioribus eundem et cum deſcriptione mea conuenientem reperi.

Notabilem ſimilitudinem cum minori varietate *Eluelae Mitrae* ſaepius hic LICHEN habet.

Huius (aut *prioris*) vt mihi videtur, varietas eſt:

LICHEN *byſſoides.*

Lichen leproſo-farinaceus, peltis ſtipitatis ſubgloboſis. LINN. *Mant. I. p. 133. Sp. 90.*

Coralloides fungiforme ex vngula equina, liuide rubeſcens. DILL. *Hiſt. p. 78. Tab. 14. f. 5.*

* 253. LICHEN *ſphaerocephalus.*

Mucor *(ſphaerocephalus)* perennis, ſtipite filiformi nigro; capitulo globoſo, cinereo. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1655. Sp. 1. Syſt. veg. p. 825. Sp. 1.*

Trichia petiolata, nigra; capitulo ſphaerico; villo ochroleuco. HALL. *Hiſt. T. III. p. 115. n. 2161. Tab. 48. f. 3.*

Sphaerocephalos niger, villo ochroleuco. HALL. *Enum. Helu. p. 9. n. 3. Tab. 1. f. 3.*

β. Mucor *(Lichenoides)* perennis, ſtipite ſubulato, nigro; capitulo lenticulari, cinereo. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1655. Sp. 2. Syſt. veg. p. 825. Sp. 2.*

Coralloides fungiforme, arboreum, nigrum, vix cruſtoſum. DILL. *Hiſt. p. 78. Tab. 14. fig. 3.*

DIAGN. Cruſta ex albido vireſcens, aut ſulphurea. Tubercula nigra, ſubtus cinerea, atro-ſtipitata.

LOC. NAT. In rimoſis *Quercuum* corticibus vbique in ſyluis noſtris occurrit v. c. prope Geismar, Lütjelengden.

DESCR.

DESCR. Cruſta tenuis, BYSSO *candelari* ſaepius ſimillima. Tubercula ſubrotunda, ſuperne complanata, nigra, inferne ex nigro cinerea, ſtipite nigro, filiformi, breui, ad inſertionem in tuberculum annulo notato. Bi- et tricipites vidit *perill.* HALLERVS. Natura plantulae cornea.

OBS. Natura durabilis et cruſta a *Fungis* ſeparant. Aut enim nouum genus poſtulant hae plantulae, aut LICHENIBVS accenſeri debent. A MVCORE certe admodum differunt.

Placet HALLERIANAM ſubiungere deſcriptionem, quum varia a *viro perilluſtri* obſeruata ſint, quae ego non vidi. „Petiolus niger, duas lineas „altus; capitulum nigro cortice ſphaericum. „Cortice rupto villi ochroleuci adparent, et capi„tulum varium eſt; deinde pars ſuperior corticis „delabitur, et nudum nunc adparet capillitium, „*Aſpergilli* MICHELIANI ſimile. Eo elapſo „cupula de capitulo fere diſci ſimilis ſupereſt.“ *Hiſt. l. c.*

**** LEPROSI SCVTELLATI.

Diſcus receptaculorum excauatus. Conf. WEIS *Crypt. p. 45.*

* 254. LICHEN *Parellus.*

Lichen cruſtaceus, albus; peltis concauis, obtuſis, pallidis. LINN. *Mant. I. p. 132. Syſt. veg. p. 807. Sp. 89.*

Lichen *(Parellus)* albidus, rugoſo-calcareus; ſcutellis irregularibus, concoloribus. NECK. *Meth. p. 50. Sp. 11.*

Lichen verrucoſus, tenax, albus; ſcutellis excauatis, marginatis, concoloribus. HALL. *Hiſt. T. III. p. 97. n. 2048.*

Lichen cruſtaceus, leproſus; ſcutis cinereis. VAILL. *Bot. p. 116. n. 22.* (ex auctoritate DILLENII.)

Lichenoides leproſum, tinctorium; ſcutellis lapidum cancri figura. DILL. *Hiſt. p. 130. Tab. 18. f. 10.*

Parelle d' Auvergne TOURN. *Voy. T. I. p. 233.*

DIAGN. Cruſta verrucoſa, irregularis, albida, madefacta rubro colore tincta. Scutellae concolores.

LOC. NAT. Ad arbores legi inter Schierke et Elbingerode.

DESCR. Cruſta ex verrucis irregularibus conflata, in recenti planta glauco-vireſcens, in ſicca albida, madefacta rubro colore, quo etiam aquam inquinat, tingitur *). Disfracta in meis candida eſt, DILLENIVS luteam facit. Inter verrucas iſtas plurimae ſaepius puluere effloreſcunt concolore. Scutellae pro ratione cruſtae, ſubſtantiae tenuis, iuniores globuloſae, dein magis expanſae, concauae, etiam planiuſculae, concolores, fundo candido, margine inſigni, cum lapidibus cancri omnino aliquam ſimilitudinem habent.

* 255. LICHEN *Pezizoides.*

Lichen cruſta farinacea, verrucoſa, glauca; ſcutellis flauis, planiſſimis. HALL. *Hiſt.*

*) Eo ad tingendum ſericum in Gallia vtuntur.

Hiſt. T. III. p. 97. n. 2046. non differre videtur.

DIAGN. Terreſtris. Cruſta fugax. Scutellae luteae, confertae, marginatae.

LOC. NAT. Locis vdis, ſyluoſis ad terram occurrit. Mea ſpecimina legi prope Andreasberg in via, quae Clausthalium tendit. In via profundiſſima prope Auerhahn, inter Clausthal et Goslar, et copioſum vbique circa Goslar reperit, et transmiſit *Cl.* SALZWEDEL. Nuper illum etiam prope Kerſtlingeroderfeld legi.

DESCR. Cruſta glauca, adultior nigreſcit et ſaepius tota deeſt. Scutellae confertae, iuniores luteae, adultiores ex luteo fuſcae, tandem fuſcae, margine eleuato, crenato, glauco; disco nitido. Planae vtplurimum ſunt, ſaepius tamen eleuantur et conuexae fiunt.

OBS. Habitu quodammodo refert *PEZIZAM ſcutellatam*, et caueas ne cum hac confundas.

* 256. LICHEN *corallinus.*

Lichen leproſus, ramoſus, teres, faſciculatus, faſtigiatus, confertiſſimus, albus. LINN. *Mant. I. p. 131. Sp. 83. Syſt. veg. p. 805. Sp. 83.*

DIAGN. Cruſtaceus ex ramis confertis.

LOC. NAT. Saxatilis. Copioſiſſimus reperitur in ſchiſti rupibus prope Goslar, imprimis inter Goslar et Clausthal. Etiam in Bructero occurrit, ſed rarius.

DESCR. Latis cruſtis obducit rupes. Cruſta craſſa, alba, quaſi ex paruis fruticulis connata.

Disfracta enim distincte apparent in plerisque ramuli crassi, quorum apices in crusta extant, qui per lentem obtusi sunt, figurae incrustaceorum cretaceorum ad littora anglica frequentium similes. Scutellas nullas adesse *perill.* LINNAEVS refert; in vetustioribus vero omnino in apicibus ramulorum tales inueniuntur, oculo vero nudo vix conspicuae. Concolores sunt, paululumque excauati. Sed caveas ne disfractorum ramulorum apices pro scutellis habeas, qui his valde similes sunt. Praeter scutellas etiam puncta conuexa, atra crustae immiscentur, tuberculis similia, quod et in aliis LICHENIBVS *leprosis scutelliferis* fieri solet.

OBS. Transitus ex LICHENIBVS *leprosis*, in *fruticulosos*, per *corallinum* facilis. LICHENES *pallescens* et *subfuscus*, cum multis varietatibus in syluis Hercynicis inueniuntur. Descriptiones et Synonyma *Cel.* WEIS *p. 47. 48. 49. 50.*

Forte etiam LICHEN *upsalienſis* prope arcem Scharzfeld ad terram prouenit. Sed specimina, quae pro illo habui, tam incompleta erant, vt certi nihil ex istis determinare potuerim.

LICHENEM *tartareum*, quem circa Hannover frequentem vidi, etiam circa Goslar non rarum esse, in aduersariis adnotaui. Sed non video inter plantas in syluis Hercynicis collectas.

***** FRVTICVLOSI.

Conf. WEIS *Crypt. p. 94.*

OBS. Fruticulosos et *scyphiferos* LICHENES omnes varietates vnius eiusdemque plantae esse contendit *Ill.* SCOPOLI. *(Carn. 1. p. 85. Carn. 2. T. II. p. 368.)* Nec repugnant HALLERVS

LERVS *(Hist. T. III. p. 70)* WEISSIVSque *(Crypt. p. 94.) Fruticulosi* vero ex meis obseruationibus a *scyphiferis* certe differunt. Neque *fruticulosi* ipsi, varietates vnius speciei sunt, si paucos forte excipias.

* 257. LICHEN *vncialis.*

Lichen fruticulosus, perforatus, ramulis breuissimis, acutis LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1621. Sp. 67. Syst. veg. p. 809. Sp. 67.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 78. Sp. 67.* NECK. *Del. p. 526. Sp. 39.*

Lichen fruticulosus, laeuis perforatus; cauliculis palmatis, breuissimis. HALL. *Hist. Tom. III. p. 79. n. 1960.*

Lichen coralloides, tubulosus, albidus, minor et mollior; cauliculis crassioribus, minus ramosis; receptaculis florum perexiguis, rufescentibus. MICH. *Gen. p. 79. Sp. 7.* HALL. *Enum. Helu. p. 69. Sp. 39.*

Coralloides perforatum, minus, molle et tenue. DILL. *Hist. p. 99. T. 16. f. 22.*

Lichenoides tubulosum, caulibus mollioribus et crassioribus, minus RAI. *Syn. p. 67. Sp. 21.*

DIAGN. Tubulosus ad axillas et summitates perforatus. Rami erecti, punctis viridibus adsperſi.

A *Rangiferino* differt ramis erectis.

LOC. NAT. Prouenit in vdis et ericetis. In syluis Hercynicis inprimis in Bructero frequens est, etiam circa Clausthal.

DESCR.

DESCR. Caules vtplurimum e cruſta foliacea prodeuntes, erecti, vnciales et minores, ſimplices aut vno alteroue ramulo donati, glabri, candicantes, cylindrici, tubuloſi, punctulis virideſcentibus adſperſi, in axillis perforati, ſiccitate fragiles. Ramuli erecti. Summitates pariter perforatae diuiduntur in cornua plerumque tria, etiam quatuor ad ſex, ſtellatim diſpoſita, ſiccitate pungentia, rufeſcentia, quae per lentem aut acuta aut rurſus in tres partes diuiſa, aut fungulo paruo, nigro terminata ſunt.

β. LICHEN *vncialis, ceranoides.*

Lichen *(ceranoides)* fronde tereti, aculeata, alis perforata, laeui, ventricoſa; ramulis terminalibus ſubradiatis. NECK. *Meth. p. 63. Sp. 21.*

Lichen *(ceranoides)* fruticuloſus, alis perforatus, ventricoſus, ramulis terminalibus, ſpinoſo-radiatis. NECK. *Del. p. 521. Sp. 42.*

Lichen fruticoſus, laeuis, perforatus, ſpinoſus; ramulis punctiferis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 79. n. 1959.*

Coralloides perforatum maius, molle et craſſum. DILL. *Hiſt. p. 98. T. 16. f. 21.*

Lichen coralloides, tubuloſus, albidus, maior et mollior etc. MICH. *Gen. p. 79. Sp. 6. T. 40. fig. 2.*

Lichenoides tubuloſum, cauliculis mollioribus et craſſioribus, maius. RAI. *Syn. p. 67. Sp. 20.*

Coral-

Coralloides tubuloſum, ramulis craſſioribus. VAILL. *Bot. p. 42. Sp. 7.*

Muſco fungus ceranoides, mollior et elatior, albidus, tubuloſus. MORIS. *Hiſt. P. III. p. 633. S. XV. Ser. 3. Sp. 7. T. 7. f. 7.*

Mera varietas eſt, quae per aetatem cruſtam folioſam amittit, altior et ramoſior fit, altitudine ſaepius palmari, et vltra, punctis viridibus magis conſpicuis. Hanc copioſam legi in M. Rammelsberg, vnde etiam miſit *Cl.* SALZWEDEL.

Si humilior, caulibus compreſſis, ramoſioribus; axillis non vndique perforatis, tunc eſt:

γ. LICHEN *vncialis, ramoſus.*

Lichen caule fruticoſo, compreſſo, ramoſiſſimo; ramulis punctiferis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 79. n. 1691.*

Lichen coralloides, tubuloſus, alpinus, maior et durior, ex cinereo vireſcens; cauliculis primariis non nihil compreſſis, ab imo ad ſummum, in ramulorum apicibus receptaculis florum rufis et perexiguis ornatus. MICH. *Gen. p. 80. Sp. 9.*

Commixtus cum priori in M. Rammelsberg occurrit.

* 258. LICHEN *fragilis.*

DIAGN. Denſi caeſpites fruticulorum ramoſiſſimorum, ſolidorum, ramis breuibus, teretibus, obtuſiuſculis, glabris.

Ab *vnciali* et *rangiferino* differt, cauliculis ſolidis, alis imperforatis. *Roccella* primo aſpectu quod-

quodammodo conuenit. Sed parum ramosa est, rami acutiores sunt, cauliculi in superficie tubercula gerunt, nec ad basin nigrescunt.

LOC. NAT. Copiosissime occurrit in M. Bructeri saxis, in rupibus prope Zellerfeld.

α. LICHEN *fragilis*, *minimus*.

Lichen caule fruticoso, ramoso, erecto, densissime cespitoso. HALL. *Hist. T. III. p. 79. n. 1962.*

Coralloides minimum fragile, Madreporae instar nascens. DILL. *Hist. p. 107. Tab. 16. f. 28.*

β. LICHEN *fragilis*, *elatior*.

Lichen *(fragilis)* fruticulosus, solidus; ramulis teretibus, obtusis. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1621. Sp. 70. Syst. veg. p. 809. Sp. 70.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 78. Sp. 70.* HVDS. *Flor. Angl. p. 460. Sp. 74.*

Lichen *(fragilis)* fronde tereti, ramosa; ramis obtusis. NECK. *Meth. p. 67. Sp. 25. β.*

Coralloides alpinum, Corallinae minoris facie. DILL. *Hist. p. 116. T. 17. f. 34.*

γ. LICHEN *fragilis*, *globiferus*.

Lichen *(globiferus)* fruticulosus, solidus, laeuis; tuberculis globosis, cauis, terminalibus. LINN. *Mant. I. p. 133. Syst. veg. p. 809. Sp. 92.*

Lichen *(globiferus)* fronde tereti, ramosa; tuberculis globosis, cauis, terminalibus. NECK. *Meth. p. 67. Sp. 25.*

Lichen

Lichen *(globosus)* fruticulosus, solidus, ramosissimus; ramulis teretibus, acutis, furcatis; tuberculis terminalibus, globosis. HVDS. *Flor. Angl. p. 460. Sp. 75.*

Coralloides cupressiforme; capitulis globosis. DILL. *Hist. p. 117. T. 17. f. 35.*

DESCR. α. Crusta foliacea nulla. Fruticuli parui, semunciales et minores, densissime congesti, inferne nigri, superne sordide lutescentes aut glaucae. Rami teretes, breuissimi, copiosissimi, solidi, glabri, apice saepius furcati, obtusiusculi. Siccus admodum fragilis.

β. Simillimus *priori*, sed vncialem, immo biuncialem altitudinem attingit, multoque ramosior est. Color glaucus aut candidus, ad basin vt in priori niger.

γ. Adultior, maior saepius. Surculi nonnulli incrassantur et in globulos terminantur, quibus disruptis nucleus ater in conspectum prodit.

* 259. LICHEN *aculeatus.*

Lichen foliaceus, diffusus, compressus, ramosissimus; ramulis furcatis, spinulosis. SCHREB. *Spicil. p. 125. n. 1119.*

Lichen fruticosus, durus, castaneus; surculis spinosis. HALL. *Hist. n. 1965.*

Lichen terrestris, angustior, ramosissimus, fuscus. VAILL. *Bot. p. 115. T. 26. f. 8.* MICH. *Gen. p. 78. n. 17.*

Lichen terrestris, atro-fuscus, minor, ramosior ac rigidior, et veluti aculeatus. MICH. *Gen. p. 78. n. 18.*

Coral-

Coralloides fruticuli ſpecie, fuſcum, ſpinoſum. DILL. *Hiſt. p. 112. Tab. 17. f. 31.*

Muſco-fungus, coralloides, montanus, tenuis, ramoſiſſimus, non tubuloſus. MORIS. *Hiſt. P. III. p. 633. Sp. 11, Sect. 15. Tab. 7. f. 11.* (Sed icone nullo modo plantam agnoſcas)

DIAGN. Fruticuloſus, compreſſus, ramoſiſſimus, ſpinuloſus, caſtaneus.

A *LICHENE islandico, tenuiore* differt, baſi non rubra.

LOC. NAT. Amat ſicciora. Frequens eſt in monte vicino Heimberg, in ericetis M. Rammelsberg prope Goslar, etiam in pratis reperi prope Clausthal.

DESCR. Caules ramoſiſſimi, plerumque per dichotomiam, inplexi, compreſſi, imprimis ad ramorum exortum. Color ad baſin initio glaucus, mox totus caſtaneus. Apices terminantur ſpinulis paruis. In aliis ſpeciminibus etiam latera, immo ſuperficies talibus ſpinulis ornantur. Siccus admodum durus, fragilis et nitens. Disfracti caules ſolidi ſunt et albi.

OBS. Fructificationem ego numquam reperi quamquam inſignem copiam ſpeciminum et his in regionibus, et ad littora maris Balthici in collibus arenoſis, et in pratis ſiccis Holſatiae legerim. *Perill.* HALLERVS fungos maximos conuexos obſervauit. Qualem VAILLANTIVS depictum dedit, talem rariſſime vidi.

MVSCO

MVSCO FVNGVS coralloides, montanus, ramoſiſſimus, fuſcus MORIS. *Hiſt. P. III. p. 633. Sp. 10.* a DILLENIO huc refertur. Sed MORISONIVS tubuloſam plantam ſuam in deſcriptione facit. Caeteris ſat bene conuenit.

LICHEN coralloides, aculeatus, nigricans. BVXB. *Cent. II. p. 10. et* LICHEN coralloides aculeatus, nigricans, paruus, repens *Ei.* quoad nomina, ad LICHENEM *aculeatum* pertinere poſſunt; ſed figuris *Tab. 5. f. 3. et 4.* datis nil deterius.

MICHELIANA citata planta absque dubio a VAILLANTIANA non differt, quamquam vt diuerſam vtramque propoſuit.

* 260. LICHEN *triſtis.*

Lichen fruticoſus, durus, niger, repetito dichotomus. HALL. *Hiſt. T. III. p. 80. n. 1966. Tab. 47. f. 1.*

Lichen fruticoſus, alpinus, minimus, nigerrimus. HALL. *Enum. Helv. T. I. p. 70. Sp. 42. T. 2. f. 1.*

Coralloides corniculatum, Fuci tenuioris facie, DILL. *Hiſt. p. 118. Tab. 17. fig. 37.*

Icon *propria.*

DIAGN. Fruticuloſus, caeſpitoſus, ſurculis compreſſis, ramoſis; ſuperne nigricantibus, ſcutelliferis.

Ab omnibus aliis *fruticuloſis* facile diſtinguitur, quum veris praeditus ſit ſcutellis.

LOCNAT. Rupes inueſtit altiores. Copioſus eſt in ſaxis Bructeri, praeſertim in Bructero

sic dicto minori, ea plaga, qua mons a diuersorio *die Oderbrück* adscenditur.

DESCR. In densos caespites congesti sunt, surculi semunciales, vnciales, valde compressi, glabri, erecti, solidi, ramosissimi, plerumque per dichotomiam. Summitates acutae, breuiter adhuc in plerisque dichotomae. Ramificationes in medio surculorum primum incipere solent. Substantia *Fucorum* instar tenax, cornea, ita vt nec in siccissimis fragilis sit, in madida planta pellucida. Color ad basin semper ater, in medio surculorum in madida planta oliuaceus, aut ex glauco oliuaceus, ad extremitates ex oliuaceo fuscus; in sicca in medio surculorum ex fusco glaucus, etiam glaucus, ad extremitates ex fusco nigrescens, tandem ater; interior, planta discissa, albus. Versus summitates scutellae in plano surculorum sessiles, orbiculares, ad lentis magnitudinem et paululum maiorem accrescentes, planae, interdum etiam conuexae, saepius concauae, coloris superne extremitatum, inferne glauci aut ex fusco glauci. Siccissimus rarissime totus nigrescit.

Copiosissime nascens saxa obducit, illisque faciem deustam, tristem acquirit.

OBS. Praeter scutellas DILLENIVS adhuc obseruauit „tubercula fungiformia, plano conue„xa, nunc rotunda, nunc oblonga, maiora et mi„nora, e fusco nigricantia, substantia candida, „fungosa repleta.“ Et scutellas, quum minores sint tuberculis tandem in tubercula transire existimat, quod tamen minime verosimile mihi videtur, nec ego, etsi in copiosissimis speciminibus ad haecce detegenda sedulo inquisiuerim, talia tubercula obser-

obseruaui, nec DILLENIVS in icone talia expressit.

VSNEIS hunc LICHENEM adnumerat *perill.* HALLERVS, sed quum toto habitu ad fruticulosos accedat, ad hoc referre malui.

Icon HALLERIANA plantam absque scutellis repraesentat, et iuniorem. Rarius cum hac figura ex toto conuenientem reperi.

Tribus hucusque, quantum scio, locis repertus est rarissimus hic LICHEN, in altissimis nempe rupibus montis Scheideck Heluetiae a *perill.* HALLERO, in rupibus montis Snowdon Walliae referente DILLENIO, et denique a me in saxis Bructeri Hercyniae.

LICHENES *rangiferinus* *) *subulatus* et *paschalis* in syluis Hercynicis vbiuis fere occurrunt. Posterior imprimis inter Clausthal et Schluft, inter Braunlage et Schiercke, ad ripas fluuii die Bremke. Horum descriptiones et synonyma *Cel.* WEIS dedit *Crypt. p. 95. 96. 97. 98.*

****** SCYPHIFERI ET CORNICVLATI

Conf. WEIS *Crypt. p. 83.*

OBS. Et mea sententia, meaeque obseruationes eo redeunt, SCYPHIFEROS et CORNICVLATOS omnes esse varietates vnius eiusdemque speciei, quae aetati aut loco natali originem suam debent. Innumeras fere possideo varietates, sed sufficiat praecipuas nominasse, et normam subdiuisionum dedisse, quibus omnes facile

*) Conf. quae de vtraque huius varietate, *alpestri* nempe et *syluatico* LINN. recte monuit *Cel.* WEIGEL *Obs. Bot. p. 38. Obs. XXXI.*

cile subordinari possunt. Per bene hanc *ill.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 368.* exhibuit, quem in multis sequutus sum. Sed notari debet varietates istas saepissime ita inter se commisceri, vt CORNICVLATI et SCYPHIFERI, *nudi* et *tuberculati*, *simplices* et *proliferi* in vno eodemque specimine reperiantur.

* 261. LICHEN *squamosus.*
SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 368. n. 1381.*

I. CORNICVLATI.

A. *CORNICVLO LONGE SVBVLATO.*

a. *glabro.*

Lichen coralloides, caule simplici, subulato, nudo. SCOP. *Carn. 1. p. 86. Sp. 22. (1) Carn. 2. T. II. p. 368.*

Coralloides scyphiforme serratum elatius; caulibus gracilibus glabris. DILL. *Hist. p. 88. T. 14. f. 13. c.*

b. *farinoso.*

Lichen cornubus simplicissimis, acutis, farinosis. HALL. *Hist. T. III. p. 70. n. 1902.*

Icon DILL. *T. 15. f. 16. E.*

c. *squamoso.*

Lichen coralloides, caule simplici, squamoso. SCOP. *Carn. 1. p. 86. Carn. 2. T. II. p. 369.*

LOC. NAT. a. b. c. copiosi inueniuntur ad *Abietum* truncos, inprimis inter Braunlage et Schierke, et in adscensu Bructeri.

B. *COR-*

B. *CORNICVLO CLAVATO.*

Coralloides vix ramoſum, ſcyphis obſcuris. DILL. *Hiſt. p. 90. var. B. Tab. 15. f. 14. B.*

a. *Clava nuda.*

b. *Clava ſquamoſa.*

LOC. NAT. Imprimis in Bructero verſus Schiercke et prope Clausthal legi.

OBS. Vtraque varietas aut acuminata, aut obtuſa eſt.

C. *CORNICVLO MAXIMO, IRREGVLARI.*

Lichen *(deformis)* ſcyphifer, ſimpliciuſculus, ſubuentricoſus; calycibus dentatis. LINN. *Spec. Plant. p. 1620. Sp. 65. Syſt. veg. p. 809.*

Lichen caule ſimplici, apice acuto, ſ. calyce turbinato terminato. LINN. *Flor. Lapp. p. 433. T. II. f. 3.*

Lichen corniculo ſimplici, maximo, laeui. HALL. *Hiſt. T. III. p. 71. n. 1904.*

LOC. NAT. Non rarus in ſylua Weendenſi et in Bructero.

OBS. Degenerat in pyxides, cornua ramoſa, ſcyphos proliferos *) tuberculoſos et dentatos. Saepius clauam inſignem, acuminatam ſiſtit, quae ad *CORNICVLATVM clauatum B.* accedit.

*) HALL. *Hiſt. l. c.*

D. *CORNICVLO VNGVICVLATO.*

Lichen coralloides; caule ſimplici, e ſquamarum oris prodeunte. SCOP. *Carn. 1. n. 3. Carn. 2. T. II. p. 369. n. 4.*

a. Lichen cornubus ſimpliciſſimis, acutis, farinoſis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 70. n. 1902.*

Lichen ex albo ſubcinereus, proboſcideus, et corniculatus, minor vtplurimum non ramoſus. MICH. *Gen. p. 81. Sp. 14.*

b. Lichen cornubus ſubramoſis, acutis, farinoſis. HALL. *Hiſt. T. III, p. 71. n. 1903.*

Lichen *pyxidatus, cornutus.* WEIS *Crypt. p. 86.*

Lichen *(cornutus)* ſcyphifer, ſimpliciuſculus, ſubuentricoſus; calycibus integris. LINN. *Syſt. veg. p. 809. Sp. 64.*

Lichen cinereus proboſcideus, et corniculatus, vtplurimum non ramoſus. MICH. *Gen. p. 81. Sp. 12.*

Coralloides vix ramoſum, ſcyphis obſcuris. DILL. *Hiſt. p. 90. T. 15. f. 14. A. D. E.*

c. Lichen corniculo ſimplici, duro ſubaſpero. HALL. *Hiſt. T. III. p. 71. n. 1905.*

Lichen tubuloſus, verrucoſus, ex obſcuro virore flaueſcens. MICH. *Gen. p. 81. n. 16.*

d. Lichen

d. Lichen corniculo ſimplici, verrucis obſito. HALL. *Hiſt. T. III. p. 77. n. 1906.*

LOC. NAT. Hos omnes frequentes reperi in ſyluis Hercynicis ad terram et *Abietum* putridos truncos.

OBS. LICHEN *D. a* et *b.* ludunt cruſta et cornubus pulchre ſulfureis. Hunc *perill.* HALLERVS verſus *Zweytlitſchinen* Heluetiae, ego ad terram prope arcem *Scharnfeld* reperi.

II. SCYPHIFERI.

* TVBERCVLIS NVLLIS.

E. *CAVLICVLIS SIMPLICIBVS, SCYPHO VNICO INTEGERRIMO.*

a. Caule longiori, in ſcyphum modice excauatum terminato.

Lichen coralloides; caule ſimplici ſubulato, nudo, apice dilatato concauo. SCOP. *Carn. 1. p. 86. Carn. 2. p. 369.*

Huc pertinet

Lichen *(exiguus)* ſtipite ſimplici (ramoſoque) ſcyphis integerrimis. NECK. *Del. p. 518.*

Lichen corniculo ſimplici, apice depreſſo, ſcutellato. HALL. *Hiſt. T. III. p. 71. n. 1908.*

Coralloides ſcyphis gracilibus tubiformibus; pedicularis folio. DILL. *Hiſt. p. 91. Tab. 14. f. 10. A.*

b. Cauliculis breuiſſimis.

Coralloides ſcyphis humilibus, intus fuſcis. DILL. *Hiſt. p. 86. T. 14. f. 11.*

c. Scypho inſigni.

Lichen pyxidatus, ſimplex. WEIS *Crypt. p. 84.*

Lichen ſcypho infundibuliformi ſimplici. HALL. *Hiſt. T. III. p. 72. n. 1912.*

Lichen coralloides caule ſimplici, pyxidato, nudo; marginibus integerrimis. SCOP. *Carn. 1. p. 86. Carn. 2. p. 370.*

Lichen pyxidatus maior. TOURN. *Inſt. p. 549. T. 325. D.* MICH. *Gen. p. 82. T. 41. f. 16.* VAILL. *Bot. p. 115. T. 21. f. 8.*

LOC. NAT. a. c. Vbique in ſyluis et ad parietes leguntur. *b.* circa Scharzfeld et Blanckenburg repertus.

F. *CAVLICVLIS SIMPLICIBVS, SCYPHO INTEGRO.*

a. Scypho inſigni crenulato.

Icon. DILL. *Tab. 14. f. 6. B.*

b. Caule breuiſſimo, ſcypho minori, crenato; (foliis maioribus, minus imbricatis.)

Coralloides ſcyphiforme, foliis alcinaciformibus, cartilaginoſis. DILL. *Hiſt. p. 87. T. 14. f. 12. A.*

Lichen pyxidatus Endiuiae criſpae folio (ſuperne flaueſcens, inferne albidus)

albidus) acetabulorum oris crispis. MICH. *Gen. p. 82. T. 41. f. 1. K. L.*

Muſco fungus terreſtris, minor, criſpus; foliis ſuperne e flauo vireſcentibus, ſubtus albicantibus. MORIS. *Hiſt. P. III. p. 632. n. 3. T. 7. S. 2. f. 3.*

c. Scypho denticulato.

Lichen *pyxidatus, fimbriatus.* WEIS *Crypt. p. 89.*

Lichen *(fimbriatus)* ſcyphifer ſimplex, denticulatus; ſtipite cylindrico. LINN. *Syſt. veg. p. 809. Sp. 61.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 77. Sp. 61.*

Lichen *(fimbriatus)* ſtipite cylindrico ſcyphifero; ſcyphis margine denticulatis, acutis. NECK. *Meth. p. 55. Sp. 16. β.*

Lichen ſcyphiger infundibulis ſerratis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 72. n. 1915.*

Lichen coralloides caule ſimplici, pyxidato, marginibus ſerratis. SCOP. *Carn.* I. *p. 87. Carn. 2. p. 370.*

Lichen pyxidatus minor. VAILL. *Bot. p. 115. T. 21. f. 6.*

Coralloides ſcyphiforme gracile, marginibus ſerratis. DILL. *Hiſt. p. 84. Tab. 14. f. 8. A. ſtip. deſign.*

d. Lichen corniculatus ſpadiceus, ſcyphis cylindricis, *(profunde dentatis)* HALL. *Hiſt. T. III. p. 72. n. 1911.*

e. Scypho maximo, irregulariter dentato.

Lichen pyxidatus, ampliſſimus; infundibulo inciſo, crenato. HALL. *Hiſt. T. III. p. 72. n. 1917.*

LOC. NAT. a. c. et *d.* copioſi in ſyluis occurrunt, *b.* circa Schartzfeld, Lauterberg, et Altonau. *e.* in Bructero.

OBS. Scyphus LICHENIS *F. e.* ita ſaepius accreſcit, vt vncialem latitudinem excedat.

G. *SCYPHIS MARGINE CORNVGERIS.*

Lichen *(radiatus)* ſcyphifer ſubramoſus, cylindraceus, elongatus, ſcyphis inaequaliter dentatis, radiatisque. SCHREB. *Spic. p. 122. n. 1114.*

Coralloides ſcyphiforme cornutum. DILL. *p. 92. Tab. 15. f. 16. A.* et Icon *T. 15. f. 16. G.*

LOC. NAT. Ad *Abietum* truncos prope Schluft et Braunlage.

** SCYPHIS TVBERCVLOSIS.

H. *CAVLICVLIS SIMPLICIBVS, SCYPHO VNICO, TVBERCVLIS FVSCIS.*

a. Tuberculis ſeſſilibus, marginalibus; caule breuiori.

Lichen coralloides, caule ſimplici, pyxidato; tuberculis ſeſſilibus, fuſcis. SCOP. *Carn. 1. p. 87. Carn. 2. T. II. p. 371.*

Lichen

Lichen *(pyxidatus)* scyphifer simplex, crenulatus; tuberculis fuscis. LINN. *Syst. veg. p. 809. Sp. 60.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 76. Sp. 60.*

Lichen *pyxidatus, tuberculatus.* WEIS *Crypt. p. 85.* (sed non omnia synonyma.)

Icon DILL. *Tab. 14. f. 6, C. a. b.*

OBS. Scyphi crenati aut integerrimi sunt.

b. *Tuberculis sessilibus, caule breuiori scyphis verrucosis.*

Lichen scyphifer, infundibulo verrucoso. HALL. *Hist. T. III. p. 72. n. 1913.*

Musco fungus pyxidatus, muralis, maior et rugosus. MORIS. *Hist. P. III. p. 632.* (ex fide HALLERI.)

OBS. Adultior per totam exteriorem et interiorem superficiem tuberculis obducitur.

c. *Tuberculis sessilibus, caule longissimo, cylindraceo.*

Coralloides scyphiforme, ossis femoris facie. DILL. *Hist. p. 91. T. 15. f. 15. A.*

Lichen corniculo simplici, obtuso. HALL. *Hist. T. III. p. 71. n.* 1907. et Lichen cylindricus, fungo fusco terminatus. HALL. *Hist. T. III. p. 73. n.* 1922.

OBS. Scyphus in hocce LICHENE saepius obscurus, vt exinde ad CORNICVLATOS accedat.

d. *Caule simplici, scypho serrato, tuberculoso.*

Lichen

Lichen scyphiger; infundibulis serratis, coronatis. HALL. *Hist. T. III. p. 72. n. 1916.*

Lichen non ramosus, acetabulis fimbriatis. MICH. *Gen. p. 85. T. 41. f. 5.*

Icon DILL. *T. 14. f. 8. B.*

e. *Tuberculis stipitatis, fuscis.*

Lichen coralloides; caule simplici, pyxidato, marginibus tuberculosis; tuberculis stipitatis fuscis. SCOP. *Carn. 1. p. 88. Carn. 2. T. II. p. 371.*

Icones DILL. *T. 14. fig. 6. C. c. et al.*

f. *Scypho tuberculoso et folioso.*

Lichen coralloides; caule simplici, marginibus foliatis. SCOP. *Carn. 1. p. 90. Carn. 2. T. II. p. 373.*

Coralloides scyphiforme marginibus radiatis et foliatis. DILL. *Hist. p. 85. T. 14. f. 9. A.* (DILLENIVS enim suae plantae tubercula fusca facit nec coccinea.)

I. *CAVLE SVBSIMPLICI, TVBERCVLIS RACEMOSIS.*

Lichen scyphiger, verrucis racemosis. HALL. *Hist. T. III. p. 72. n. 1914.*

Lichen tubulatus albus, vtplurimum non ramosus, receptaculis florum eleganter rufis, crispis et confertis. MICH. *Gen. p. 83. Sp. 4.*

K. *CAVLE SVBSIMPLICI, SCYPHIS PROLIFERIS.*

a. *Scypho nullis tuberculis ornato.*

α. *Centro prolifero, marginibus integerrimis.*

Icones DILL. *T.* 14. *f.* 6. *D. E. F. G.*

β. *Centro prolifero, marginibus ſerrulatis.*

Coralloides ſcyphiforme gracile; marginibus ſerratis. Icon DILL. *T.* 14. *f.* 8. *C. ſtip.* 1.

γ. *Margine prolifero.*

Lichen infundibulis glabris proliferis. HALL. *Hiſt. T. III. p.* 73. *n.* 1923.

Icones DILL. *T.* 14. *f.* 6. *J. ſtip.* 1.

b. *Scypho tuberculoſo.*

1. *Centro prolifero.*

α. Marginibus integris.

Icones DILL. *T.* 14. *f.* 6. *H.*

β. Marginibus ſerratis.

2. *Margine prolifero.*

α. *Integerrimo aut ſubcrenato.*

Icones DILL. *T.* 14. *f.* 6. *J. K. M.*

Lichen pyxidatus extus prolifer. HALL. *Hiſt. T. III. p.* 74. *n.* 1626.

β. *Serrato.*

Huc pertinent.

1. Lichen pyxidatus maximus, profunde inciſus; dentibus dentatis punctatis. HALL. *Hiſt. T. III. p.* 73. *n.* 1920.

2. Lichen ſcyphiger, infundibulis ſpinoſis. HALL. *Hiſt. T. III. p.* 73. *n.* 1921.

3. Lichen infundibulis ſerratis proliferis. HALL. *n.* 1924.

4. Lichen

4. Lichen infundibulis foliatis punctatis. HALL. *Hist. p. 74. n. 1932.*

5. Lichen triplicato proliferus, acetabulis angustis foliosis. HALL. *Hist. T. III. p. 74. n. 1933.*

6. Lichen infundibulis explanatis, fungiferis. HALL. *p. 75. n. 1934.*

γ. *Margine ramoso-prolifero, cristato.*

Lichen *(pyxidatus, cristatus)* caule ramoso; *) ramis pyxidatis, in extremitates minores, pyxidatos, cristatos desinentibus, punctis fuscis, undique terminatis. WEIS. *Crypt. p. 92.*

Lichen infundibulis proliferis palmatis, serratis et punctatis. HALL. *Hist. T. III. p. 75. n. 1937.*

Coralloides cornucopioides, incanum scyphis cristatis. DILL. *Hist. p. 94. T. 15. f. 17. A. B. C.*

3. *Scyphis irregulariter proliferis, et foliosis.*

Huc pertinent.

α. Lichen infundibulis proliferis, serratis, foliosis et verrucosis. HALL. *Hist. T. III. p. 73. n. 1925.*

Icon. DILL. *T. 14. f. 9. B.*

β. Lichen infundibulis proliferis, foliosis et fungosis. HALL. *p. 74. n. 1929.*

γ. Lichen asper, infundibulis gracilibus; corniculis foliosis et verrucosis, fungiferis. HALL. *n. 1930.*

δ. Lichen

*) Scyphus ramosus est, nec caulis.

β. Lichen pyxidatus prolifer, multiformis; acetabulis folioſis, cylindricis et ſpinuloſis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 75. n. 1936.*

L. *CAVLE RAMOSO GRACILI SCYPHIS PROLIFERIS.*

a. Lichen *(gracilis)* ſcyphifer ramoſus, denticulatus, filiformis. LINN. *Syſt. veg. p. 809. Sp. 62.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 77. Sp. 62.*

Lichen *(gracilis)* ſtipite ſcyphifero, filiformi ſimplici ramoſoque; ſcyphis denticulatis. NECK. *Meth. p. 56. Sp. 17.*

Lichen infundibulis proliferis et corniculatis erectis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 76. n.* 1946.

Lichenes MICHEL. *Ord. VII. T.* 41. plerique. Icon DILL. *T.* 14. *f.* 13. *B.*

b. Lichen pyxidatus prolifer multiformis; acetabulis folioſis, cylindricis et ſpinuloſis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 75. n.* 1936.

c. Lichen aſper, infundibulis gracilibus; corniculis ramoſis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 76. n.* 1943.

LOC. NAT. Hi omnes Lichenes ſcyphis tuberculoſis, quos hucusque tradidi, inter plantas fuerunt inter Braunlage et Schiercke, et in montibus Bructero, Rammelsberg, et Radauerberg collectas.

M. *TVBERCVLIS LAETE COCCINEIS.*

OBS. Notari debet, omnes fere LICHENES hucusque traditos variare tuberculis coccineis. Ex illis igitur, quos in ſyluis Hercynicis legi eos tantum commemorabo, qui peculiaribus nominibus ab auctoribus inſigniti ſunt.

a. Lichen *(cocciferus)* ſcyphiger, ſimplex integerrimus; ſtipite cylindrico; tuberculis coccineis. LINN. *Syſt. veg. p. 809. Sp. 58.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 76. Sp. 58.*

Lichen *(cocciferus)* ſtipite cylindrico, ſcyphifero; ſcyphis integerrimis, NECK. *Meth. p. 57. Sp. 18.*

Lichen ſcyphiger infundibulorum fungulis coccineis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 73. n. 1918.*

Lichen coralloides; caule ſimplici pyxidato; marginibus tuberculoſis; tuberculis coccineis. SCOP. *Carn. 1. p. 88. Carn. 2, T. II. p. 372.*

Coralloides ſcyphiforme tuberculis coccineis. DILL. *Hiſt. p. 82. T. 14. f. 7.*

Lichen pyxidatus rugoſus, prolifer et non prolifer, acetabulorum oris coccineis et tumentibus. MICH. *Gen. p. 82. Sp. 3. A.*

Lichen pyxidatus prolifer, acetabulis radibus, et minus cauis, receptaculis florum coccineis. MICH. *ib. Sp. 4.*

Lichen circa Andreasberg. THAL. *p. 73.*

OBS.

OBS. Huius tubercula per aetatem saepius fuſca euadunt. Tunc eſt:

Lichen ſcyphiger, infundibulorum fungis fuſcis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 73. n. 1919.*

b. Lichen ſcyphiger infundibulis ſpinoſis. HALL. *Hiſt. p. 73. n.* 1921.

c. Lichen corniculo ſubramoſo, fungifero. HALL. *Hiſt. T. III. p. 71. n. 1910.*

Lichen albus proboſcideus et corniculatus, plerumque non ramoſus, proboſcidum oris coccineis. MICH. *Gen. p. 87. Sp. 13.*

d. Lichen infundibulis proliferis, fungulis coccineis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 74. n.* 1927.

OBS. Huius rurſus varietas aetate mutata eſt:

Lichen infundibulis proliferis, fungulis atro fuſcis. HALL. *ib. n. 1928.*

e. Lichen *(digitatus)* ſcyphifer ramoſiſſimus; ramis cylindricis; calycibus integris, nodoſis. LINN. *Syſt. veg. p. 809. Sp. 63.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 77. Sp. 63.*

Lichen *(digitatus)* ſtipite cruſtaceo, ramoſo; ramulis terminalibus, palmatis tuberculatisque. NECK. *Meth. p. 59. Sp. 20.*

Lichen infundibulis palmatis, fungulis coccineis. HALL. *Hiſt. T. III. p. 75. n.* 1939.

Lichen coralloides caule ramoſo; ramis in tubercula coccinea deſinentibus. SCOP. *Carn. 1. p. 92.*

Coralloides ramulosum, tuberculis coccineis. DILL. *Hist. p. 95. T. 15. f. 19.*

f. Lichen corniculatus bicornis et tricornis, coccineo puncto terminali. HALL. *ib. n.* 1940.

g. Lichen *(cornucopioides)* scyphifer simplex, folio breuior; tuberculis coccineis. LINN. *Syst. veg. p. 809. Sp. 59.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 76. Sp. 59.*

LOC. NAT. Coccinei varietates legi circa Andreasberg, Oderbruck, in Bructero et alibi per syluam Hercynicam.

OBS. Lubens omisi multas plantas huius ordinis ab auctoribus commemoratas, quum animus erat, eas tantummodo tradere, quas ipse in sylvis Hercynicis legi, sed istae meis subdiuisionibus facile subordinari possunt, partier ac synonyme imprimis MICHELIANA, ob longitudinem saepius omissa.

******* FILAMENTOSI.

Conf. WEIS *Crypt. p. 99.* VSNEA DILL. *Hist. p. 56.*

* 262. LICHEN *plicatus.*

Lichen filamentosus pendulus, ramis implexis; scutellis radiatis. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1622. Sp. 72. Syst. veg. p. 810.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 78. Sp. 72.* SCOP. *Carn. 1. p. 74.*

Lichen *(plicatus)* fronde pendula, ramosissima, tereti, implexa; scutellis lateralibus, margine radiatis. NECK. *Meth. p. 71. Sp. 32.*

Lichen

Lichen pendulus teres, exasperatus; ramis descendentibus; scutellis radiatis. HALL. *Hist. T. III. p. 81. n. 1971.*

Vsnea vulgaris, loris longis implexis. DILL. *Hist. p. 56. T. II. f. 1.*

Muscus arboreus, Vsnea officinarum. C. BAUH. *Pin. p. 361.* (ex fide DILLENII et LINNAEI.)

DIAGN. Frondes teretes, ramosissimae intricatae, pendulae. Scutellae radiatae.

A *florido* differt ramis minus diffusis, pendulis, longioribus.

LOC. NAT. Non rarus est ad altas syluarum Hercynicarum ABIETES, etiam ad FAGOS prope Clausthal.

DESCR. In arboribus frondes cinereae pendent saepius glauco puluere adspersae, longissimae, ad semipedalem, immo pedalem longitudinem non raro protensae, ramosissimae, ramis valde implexis, vndique teretibus. Scutellae ad ramulorum laterales apices, radiatae.

OBS. Dubitat *ill.* SCOPOLI, an vere diversus, anne potius *floridi* sit varietas, cui omnino valde accedit. Videtur tamen differre, quum *floridus* semper ramis magis diuaricatis et strictioribus gaudeat.

* 263. LICHEN *diuaricatus.*

Lichen filamentosus, pendulus, angulatus, articulatus, intus tomentosus; ramis diuaricatis; peltis orbiculatis, sessilibus. LINN. *Syst. veg. p. 810.*

Lichen *(diuaricatus)* filamentoſus, pendulus; loris compreſſis, lacunoſis, glabris. SCOP. *Carn.* I. *p.* 75. *Sp.* 6. *Carn.* 2. *T. II. p.* 357. *n.* 1360.

Lichen *(mollis)* fronde articulata, pendula, intus tomentoſa; ramis furcatis compreſſis; ſcutellis orbiculatis, glabris. NECK. *Meth. p.* 74. *Sp.* 35.

Lichen ramoſus, lacunatus, flaccidus. HALL. *Hiſt. T. III. p.* 82. *n.* 1975.

Lichen longiſſimus, ex cinereo candicans, rugoſus, mollior; receptaculis florum rufeſcentibus. MICH. *Gen. p.* 77. *Sp.* 2. *T.* 39. *f.* 2. (ex auctoritate HALLERI.)

Vsnea mollis, ramis longis compreſſis. DILL. *Hiſt. p.* 62. *T.* 12. *f.* 5.

DIAGN. Ramoſus, pendulus; compreſſus, ochroleucus, flexilis.

LOC. NAT. Habitat in Abietibus demortuis circa Clausthal.

DESCR. Frondes rarius vnciales, biunciales, vtplurimum ſemipedales et pedales, pendulae, ramoſae, plerumque dichotomae, admodum flexiles et molles etiam in ſiccis ſpeciminibus, vbique compreſſae et rugoſae. Color ochroleucus. Subſtantia exterior ſaepius disrumpitur, vt frondes articulatae videantur, et filamentum medium album, a ſubſtantia exteriori ſubhirſutum in conſpectum prodeat. Rami terminales ſaepius teretes.

Fructificationem non vidi. Eam ſequentibus deſcripſit verbis DILLENIVS:

„Orbiculi plani, glabri, non radiati ipſis ramis „hinc inde adnaſcuntur, non per latera adpoſiti, „ſed

„ſe, mediis ramis adnati, non perforati, ſed adnexi. Item, colore in ſicca ſpadiceo vel rufo „anterius, poſterius, qua ramis vel neruis affi„guntur, albicante.“

264. LICHEN *iubatus*

LINN. *Syſt. veg. p. 810. Sp. 74.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 79. Sp. 74.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 358. n. 1362.* SCHREB. *Spicil. p. 115. n. 1100.*

Lichen *(iubatus)* fronde pendula, ramoſa; filamentis compreſſis, teretibusque verrucoſis. NEÇK. *Meth. p. 72. Sp. 33.*

DIAGN. Frondes ramoſae teretes, axillis pleriſque compreſſis.

LOC. NAT. Arboreus et ſaxatilis. In omnibus ſyluis Hercynicis ad ABIETES, illarum truncos et ſaxa frequens.

OBS. Niger aut nigricans vtplurimum eſt, ſaepius tamen candicantem reperi, etiam laete viridem. Tubercula pollinifera ab auctoribus deſcripta ſaepiſſime deſunt. Diſciſſus interdum cavus eſt, aut medulla alba repletus.

Deſcriptionem et ſynonyma *Cl.* WEIS *Crypt. p. 101.* dedit.

Vetuſtiora ſpecimina ſaepius corticibus arcte adhaerent, aut lapidibus inſtrata reperiuntur, quae, quum non tam arcte implexa ſint, minus ramoſa eſſe videntur. Et tunc omnino eſt:

* β. LICHEN *iubatus, chalybeiformis.*

Lichen *(chalybeiformis)* filamentoſus, ſubramoſus, decumbens, implicato-flexuoſus. LINN. *Spec. Plant. T. II.*

p. 1623. *Sp.* 77. *Syſt. veg. p.* 810. CRANTZ *Inſt. T. I. p.* 79. *Sp.* 77. SCHREB. *Spic. p.* 115. *n.* 1101.

Lichen *(chalybeiformis)* fronde vaga, ramoſa, filiformi, decumbenti-flexuoſa. NECK. *Meth. p.* 73. *Sp.* 34.

Lichen fruticoſus diffuſus; caulibus vagis, flexuoſis, rigidis, teretibus. HALL. *Hiſt. T. III. p.* 80. *n.* 1969.

Lichenoides caule rigido, inſtar fili chalybei. CELS. *Cat. p.* 30.

Vsnea rigida, horſum vorſum extenſa. DILL. *Hiſt. p.* 66. *T.* 13. *f.* 10.

Icon OED. *Flor. Dan. Tab.* 292.

* 265. LICHEN *pubeſcens.*

Lichen filamentoſus, ramoſiſſimus, decumbens, implexus, nitidus. LINN. *Spec. Plant. T. II. p.* 1623. *Sp.* 76. *Syſt. veg. p.* 810. CRANTZ *Inſt. T. I. p.* 79. *Sp.* 76.

Lichen fruticuloſus minimus, flexuoſus; cauliculis nigris, capillaribus. HALL. *Hiſt. T. III. p.* 80. *n.* 1967.

Vsnea caeſpitoſa, exilis, capillacea, atra. DILL. *Hiſt. p.* 66. *Tab.* 13. *fig.* 9.

DIAGN. Saxatilis, niger, paruus, vndique teres ramoſiſſimus, ramis breuibus.

A plerisque VSNEIS differt colore, a LICHENE *Hippotrichode* ramoſitate, a *iubato* frondibus nudis, numquam tuberculoſis, axillis haud compreſſis.

LOC.

LOC. NAT. Amat rupes altiores. Saxis M. Bructeri copioſus adhaeret, imprimis vero LICHENI *fahlunenſi* implexus reperitur.

DESCR. Frondes vix vnciales, teretes, per breues dichotomias ramoſiſſimae, graciles, ſaepius capillares, glabrae, vtplurimum cum nitore, per lentem ſubdiaphanae, in humidis flexiles, in ſiccis fragiles. Summitates acutae. Color in ſiccis ater, in humidis ex atro, etiam ex glauco viridis.

Similibus locis, huic ſaepius immixta prouenit *varietas* aetate profectior, longior, bi-triuncialis, paululum craſſior. Quae tunc nitorem omnem amittit. Haec eſt:

β. LICHEN *pubeſcens, maior.*

Lichen *(lanatus)* filamentoſus, ramoſiſſimus, decumbens, implicatus, opacus. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1623. Sp. 75. Syſt. veg. p. 810.* CRANTZ *Inſt. T. I. pag. 79. Sp. 76.*

Lichen *(lanatus)* fronde ramoſiſſima, tereti, decumbenti implexa, ſiccitate rigida. NECK. *Meth. p. 73. Sp. 33.* β.

Vsnea lanae nigrae inſtar ſaxis adhaerens. DILL. *Hiſt. p. 66. T. 13. f. 8.*

OBS. Priorem *Cel. de* NECKER *in Methodo* ſua omiſit, alterum pro varietate *iubati* habet, ad quem ob defectum tuberculorum et axillas non compreſſas nequaquam referri poteſt.

* 266. LICHEN *hippotrichodes.*

Vsnea nigra, ſetae equinae facie, parum ramoſa. DILL. *Hiſt. p. 67. T. 13. f. 11. B.*

Byſſus filamentoſa; filamentis longis, teretibus, ſetaceis, nigris. GVETT. *Obſ. T. I. p. 4. Sp. 4.*

DIAGN. Teres, capillaris, niger, ſubſimplex, extremitatibus diuiſis. (Facies ſetae equinae nigrae.)

LOC. NAT. Locis vdis et vmbroſis, foliis deiectis *coniferarum* adhaerens, muſcis implexus eſt. In omnibus ſyluis Hercynicis copioſiſſimus, ABIETVM deiectis foliis affixus, imprimis prope Schluſt, et inter Clausthal et Goslar, vnde etiam miſit amicus SALZWEDEL, qui illum etiam circa Berolinum reperit. In corbe ſaligna in cella diu repoſita enatum vidit DILLENIVS.

DESCR. Primo intuitu certe pro ſeta equina habeas, cui perfecte ſimilis. Inter LICHENES *filamentoſos* tenuiſſimus, vtplurimum ſimplex, exceptis extremitatibus, quae plerumque diviſae ſunt. Interdum etiam hinc inde ramulos emittit. Caeterum glaberrimus eſt, nitens, longitudine bi, tri et quadriunciali. Color in humido aut luci oppoſita planta ex fuſco niger, in ſicco ater, ſimili modo, quam in ſetis equinis nigris, quae etiam luci obuerſae fuſcae ſunt.

OBS. Aſſum huc refert DILLENIVS *Tabula 13. f. 11. A.* depictum, multo longiorem, craſſiorem, magisque ramoſum, quem inter alios muſcos arborum truncis, e Patagonia delatos, naſcentem reperit.

* 267. LICHEN *radiciformis.*
Vsnea *radiciformis.* SCOP. *Diff. N. 1. p. 95. n. 16. T. 8.*

DIAGN.

DIAGN. Longissimus, ramosissimus, ex fusco nigricans, glaber, radiciformis.

LOC. NAT. Subterraneus imprimis. Habitat in omnibus fodinis Hercynicis, lignis subputridis et lapidibus firmiter adnascens. Lectum in lignis fodinae Dorotheae (Clausthaliensis) transmisit *Cl.* SALZWEDEL. Etiam domicilia Clausthaliensium intrat, et trabes murosque late inuestit.

DESCR. Lora perennia bi, tripedalia, aut inordinate, aut per dichotomiam ramosissima, crassiuscula, teretia, tenacissima. Cortex ex atro fuscus, glaber, includit substantiam mollem ex fusco lutescentem, BOLETO *igniario* praeparato simillimam, quae mediam corticalem obscuriorem inuoluit. Fructificationis vestigium nullum.

OBS. Dubie ad LICHENES refero *plantas* (si hoc nomen merentur) istas *subterraneas*, quas sub VSNEAE nomine descripsit *ill.* SCOPOLI. Substantia omnino aliena est, ad fungosam naturam magis accedens, media certe inter VSNEAS et CLAVARIAS. VSNEAM *villosissimam* SCOP. *Diss. I. p. 94. n. 15. T. 7. f. 2.* in fodinis Hercynicis hucusque non reperi.

Lora LICHENIS *radiciformis*, primo aspectu radicibus ex omni parte simillima, sed certe non sunt radices a ligno genitae, vt iam monuit *ill.* SCOPOLI *(l. c. p. 120.)* quum et lapidi adhaereant copiosa. „Dum vritur, crepitat et sul„phureum odorem spargit. Ex cineribus non ob„tinetur sal alcali, sed substantia quaedam sapona„cea, empyreumatica, ex qua Sal purum educi

„nullo modo potest. Decoctum alcalinum dat „cum solutione Aluminis laccam nigricantem.“ SCOP. *l. c. p. 95.*

Clausthalienses infestissimum et vix exstirpandum domiciliorum hospitem vocant *Schwamm*, originem eius humiditati tribuentes.

LICHENES, quorum synonyma et descriptiones in *Cl.* WEISSII *Plant. Crypt. 100. seq.* inveniuntur, *barbatus*, *hirtus* et *floridus*, vulgatissimi sunt in omnibus sylvis Hercynicis. *Floridum* ab *hirto* ego vix distinguo. Magnitudo insignior plantam adultiorem indicare videtur scutelliferam.

******** FOLIACEI.

Conf. WEIS *Crypt. p. 61.*

268. LICHEN *ciliaris.*

LINN. *Syst. veg. p. 807. Sp. 28.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 71. Sp. 28.* SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 282. n. 1388.* SCHREB. *Spicil. p. 126. n. 868.*
Lichen (*ciliaris*) fronde erectiuscula; laciniis linearibus, ciliatis; scutellis concauiusculis, stipitatis, subcrenatis. NECK. *Meth. p. 101. Sp. 71.*
Lichen *ciliaris, viridis.* WEIS *Crypt. p. 62.*

DIAGN. Varie diuisus; siccus cinereus, madidus statim viresens. Margines aristis nigris ciliati. Scutellae admodum concauae, interne ex nigro caeruleseentes, externe cum fronde concolores, margine crenulatae, adultiores conuexae, fuscae.

LOC.

LOC. NAT. Copiosissimus vbique ad SALICES-occurrit, et ad ABIETES syluarum Hercynicarum.

Syn. descr. WEIS *Crypt. l. c.*

269. LICHEN *tenellus.*

Lichen foliaceus, laciniatus, albus; laciniis suberectis, obtusis, pilosis; scutellis sessilibus. SCOP. *Carn. 1. p. 110. Sp. 51. Carn. 2. T. II. p. 394. n. 1406.*

Lichen *ciliaris, albidus.* WEIS *Crypt. p. 63.*

Lichen *hispidus.* SCHREB. *Spicil. p. 126. n. 1120.*

Lichen fronde profunde laciniata, semitubulosa, ciliata. HALL. *Hist. T. III. p. 92. n. 2019.*

Lichen cinereus arboreus, marginibus fimbriatis. VAILL. *Bot. T. 20. f. 4. a. b.* HALL. *Enum. Helv. p. 79. Sp. 85.*

Lichen crustae modo saxis adnascens cinereus, eleganter et tenuiter laciniatus. TOURN. *Par. p. 481.*

Lichen pulmonarius, exiguus, saxis et arboribus innascens, ad margines radicatus, inferne albus, desuper subcinereus; receptaculis florum nigricantibus. MICH. *Gen. p. 93. Sp. 1. T. 50. Ord. 28.*

Lichenoides hispidum minus et teretius, scutellis nigris. DILL. *Hist. p. 152. T. 20. f. 46.*

Musco

Muſco fungus arboreus, cinereus, minor, marginibus piloſis. MORIS. *Hiſt. P. III. p. 634. Sp. 9.*

DIAGN. Iunior imbricatus, adultior foliaceus, erectus, varie diuiſus et ciliatus vti prior, ſed multo tenuior. Color conſtanter albus etiam in madida planta. Rami per aetatem tubuloſi, aperti.

LOC. NAT. Copioſus praeſertim ad PRVNVM *ſpinoſum* reperitur, etiam ad ABIETES.

OBS. Cl. WEIS et NECKER ad LICHENEM *ciliarem* referunt, ſed vere diuerſa planta eſt, colore conſtanti, ramisque tubuloſis. Ciliae iuniores albae, adultiores nigricantes.

LICHEN pulmonarius, arboribus adnaſcens, exiguus, anguſtifolius, ſuperne cinereus, inferne albus, receptaculis florum obſcuris. MICH. *Gen. p. 93. T. 50. O. 27.* et LICHEN pulmonarius, minor, ad margines radicatus, inferne albus, ſuperne cinereus, receptaculis florum nigricantibus MICH. *ib. O. 28. Sp. 3.* non ſunt diuerſae a LICHENE *tenello* plantae.

VARIETATEM *absque ciliis* HALLERVS habet. Ad hanc a *viro perilluſtri* refertur LICHENOIDES ceratophyllum obtuſius et minus ramoſum. DILL. *Hiſt. p. 154. T. 20. f. 49.* Sed iſte ad *tenellum* pertinere non poteſt, quum inferne nigrum pronunciet DILLENIVS, et potius *phyſoides* videtur *varietas*, quamquam DILLENIVS LICHENEM *centrifugum Flor. Lapp. T. II. f. 2.* ad ſuum referat, qui certe diuerſiſſimus.

Cauen-

Caueas, quod *ill.* SCOPOLI iam monuit, ne arcte huic vtplurimum immixti LICHENIS *stellaris* scutellas, ad *tenellum* pertinere credas.

270. LICHEN *islandicus.*

LINN. *Syst. veg. p. 807. Sp.* 29. CRANTZ *Inst. T. I. p. 72. Sp.* 29. SCOP. *Carn. 2. T. II. p. 380. n. 1385.*

Lichen *(islandicus)* fronde erectiuscula, laxa, margine ciliata, scutellis subrotundis, terminalibus planis. NECK. *Meth. p. 108. Sp. 79.*

DIAGN. Terrestris. Frons erecta basi rubra, profunde laciniata, margine cartilagineo spinoso-ciliato.

LOC. NAT. Abundat in syluis Hercynicis v. c. prope Clausthal, sed copiosissimus est in Bructero et in torfosis prope Borckenkrug.

OBS. Variabilis si vmquam LICHEN magnitudine, colore, scutellarum figura. Vidi attingentem tantum lineam dimidiam, ad vnciam et sesquiunciam latum. Imprimis vero florentia specimina latescere solent. Color in plerisque castaneus est, in aliis albus cum admixto viridi, aut luteo colore. Caueas, ne tunc pro *niuali* habeas, quum et saepius lacunosus sit. *Alba varietas* etiam exinde cum niuali facile confundi posset, quod surculi superiores spinulis istis marginalibus saepius omnino destituantur.

Scutellas rarius profert. Florentem tamen copiosum reperi m. Octobris ea palude prope diuersorium Borckenkrug qua BETVLA *nana* prouenit, rarius in Bructero mensibus Octobris et Maii.

Scu-

Scutellae in extremis summitatibus proueniunt, non tamen terminales sunt; vti DILLENIVS istas depinxit. Interdum etiam, sed rarissime, infra summitates reperiuntur. Hae in inferiori superficie semper impressae sunt et lacunosae, in adultioribus maxime concauae. In aliis superne concauas, rotundatas et ciliatas vidi In plerisque tamen integerrimae sunt, latitudine longitudinem superante. Adultarum maxime lacunosarum latitudo vnciam saepius aequat.

Rami florigeri obtusi, caeteri magis acuti et atteniuati.

271. LICHEN *niualis.*

LINN. *Syst. veg. p.* 807. *Sp.* 30. GRANTZ *Inst. T. I. p.* 72. *Sp.* 30. SCOP. *Carn. 2. T. II. p.* 381. *n.* 1386.

Lichen *(niualis)* fronde laciniata glabra, erecta, nitida; punctis marginalibus obscuris. NECK. *Meth. p.* 103. *Sp.* 72.

DIAGN. Frons erecta, profunde laciniata, lacunosa, basi concolor, marginibus punctis nigris subsessilibus notata.

α. LICHEN *niualis, albidus.*

Icon OED. *Tab.* 227.

LOC. NAT. Habitat in Bructero ad saxa et ad terram.

β. LICHEN *niualis, luteus.*

LOC. NAT. Habitat ad ramos et radices ABIETVM versus Clausthal, Lauterberg, Braunlage.

OBS.

OBS. Duplex eaque insignis VARIETAS. *a.* Candicans est aut pallescens. Folia sesqui et biuncialia, insigniter lacunosa. Puncta marginalia nigra, albo substipitata, imprimis versus summitates, praesertim adultiorum copiosa. Hanc numquam arboream vidi. Fusius descriptam et synonymis illustratam inuenies in WEIS *Crypt. p.* 71.

Altera VARIETAS (*b*) mihi semper minor est, semuncialis circiter, minus profunde lacunosa. In hac puncta marginalia rarissima, saepius nulla. Paene credidissem aliam et a *niuali* diuersam esse plantam, nisi eandem a *perill.* HALLERO ex Heluetia missam sub eo nomine in Herbario *b.* WILLICHII vidissem.

Scutellas vterque rarius profert, egoque florentem numquam reperi. Eas esse in petiolis nonnullis sessiles, magnas, spadiceas, planas, oris flauis, crenatis, etiam laciniatis, *perill.* HALLERVS refert. (*Hist. T. III. p.* 82. *n.* 1977.)

272. LICHEN *furfuraceus.*

LINN. *Syst. veg. p.* 801. *Sp.* 32. CRANTZ *Inst. T. I. p.* 81. *Sp.* 32.

Lichen (*furfuraceus*) fronde ramosissima, superne cinerea, subuillosa, inferne nigra; ramulis acutis. NECK. *Meth. p.* 107. *Sp.* 77.

DIAGN. Frons ramosa, superne albicans aut cinerea subuillosa, inferne reticulata, plerumque nigra. Sapor amarus.

LOC. NAT. In syluis Hercynicis vbique ad ABIETES abundat.

OBS. A LICHENE *prunastri* vere differt, vt mihi videtur. Eius adultiorem esse *varietatem,*

tatem, mens eſt *ill.* SCOPOLI (*Carn. 2. T. II. p. 380.*) Sed amarorem iſtum inſignem et diuturnum in LICHENE *prunaſtri* numquam obſervaui, qui mihi ſemper ſaporis fatui, quamquam iſte, qui ad QVERCVS naſcitur, monente *Cel.* WEISSIO (*Crypt. p. 74.*) amaricans ſit. Idem vero plerumque in omnibus *plantis paraſiticis*, ad QVERCVS naſcentibus, obſeruatur. Et ego inferiorem ſuperficiem ad baſin ſaltim ſemper nigram vidi. Apices et in meis ſaepius albi ſunt.

Synonyma et frondium deſcriptionem tradidit WEIS *Crypt. p. 65.*

Scutellas rariſſime profert. In vnico ſpecimine video ſcutellam terminalem, tenuem, paruam, planiuſculam, vtrinque glabram, et ex nigro fuſcam, margine per lentem crenulatam. Sed cum hac figura MICHELII, DILLENIIque hucusque deſcriptio minime conuenit. Sunt huic LICHENI ſecundum DILLENIVM „ſcutellae, quae foliis innaſcuntur, ſatis amplae, cauae, externe coloris cum foliorum parte ſuperiore eiusdem, interne e fuſco nigricantis.“ (DILL. *Hiſt. p. 158.*)

Sequentes notari merentur VARIETATES:

α. LICHEN *furfuraceus, laciniatus.* Hunc exprimit Icon DILLENII et Lichen alpinus cornua cerui referens, ſubtus anthracinus, deſuper cinereus; receptaculis amplioribus, intus fuſcis. MICH. *Gen. p. 76. T. 38. f. 1.*

β. LICHEN *furfuraceus, lobatus.*

γ. LICHEN *furfuraceus, coralloides.*

α. Ramoſiſſimus eſt, plerumque dichotomus, laciniis anguſtioribus, extremitatibus acutis.

β. Minus

β. Minus ramosus, latior, latitudine saepius unciali, inde lobatus, lobis obtusis, ad margines interdum lacinulis paruis, acutis ornatis. Tota superior superficies saepius spinulis obsita, et admodum furfuracea. Hunc reperi ad *parietem ligneum* prope *Preetz Holsatiae.*

γ. Sed maxime memorabilis est *tertia* illa *varietas*, quam equidem ipse non vidi, sed a *perill.* HALLERO sequentibus descriptam inuenio: „Trunci „toti pilis asperis subuiridibus efflorescunt, sed „praeterea ramos emittunt diuersissimi a *Leucome-* „*lano (furfuraceo)* habitus, *coralloidis fungosi* „similes, albos, teretes, ramosos et diuisos, in cor- „nicula acuta, vltimo fissos." HALL. *Hist. T. III. p. 82. n. 1976. β.*

273. LICHEN *tinctorius.*

Lichen pulmonarius, alpinus, cinereus, durior; segmentis crebris, ad extremitatem tenuissime diuisis. MICH. *Gen. p. 75. Sp. 6.?*

DIAGN. Foliaceus, erectus; laciniis angustis, compressis, anastomosantibus, extremitatibus liberis furcatis.

A LICHENE *farinaceo* differt ramis anastomosantibus et erectis, nec diffusis.

LOC. NAT. Ex Bructero attuli saxis adhaerentem.

DESCR. Congesti nascuntur surculi vnciales, compressi, glabri, lacunosi, repetito ramosi, ramis vero semper anastomosantibus, exceptis extremitatibus, minus compressis, tenuibus et furcatis, longitudine aequalibus, (lineam circiter aequantibus.)

tibus.) Tubercula farinosa, irregularia, albicantia, vbique in superficie sparsa. Color frondium cinereus aut glaucus, aqua calida maceratarum, statim imprimis versus extremitates in eleganter rubrum mutatur, quo et aquam imbuit. Substantia cornea.

Fructificationem non vidi.

OBS. Proximus est LICHENI *farinaceo*, imprimis *varietatibus* a DILLENIO *Tab. 23. f. 63. A et B* pictis, quae substantia cornea et extremitatibus tenuibus etiam plerumque furcatis, cum *tinctorio* conueniunt. Sed in nostro extremitates semper aequales sunt, et habitus crescendi alius. (Vid. *Diagnosis.*)

MICHELIANA planta omnino huius loci esse videtur, quamquam de frequenti ista anastomosi nullam fecerit mentionem. Caeterum descriptio et locus natalis conueniunt.

274. LICHEN *glaucus.*

LINN. *Syst. veg. p. 808. Sp. 42.* GRANTZ *Inst. T. I. p. 74. Sp. 42.*

Lichen *(glaucus)* foliaceus, repens, lobatus, supra cinereus, subtus ater; marginibus verrucosis. SCOP. *Carn. 1. p. 104. Sp. 35. Carn. 2. T. II. p. 387. n. 1395.*

Lichen *(glaucus)* fronde laciniata nitida, margine crispo farinosa, subtus atra; punctis scutelliformibus brunneis. NECK. *Meth. p. 100. Sp. 69.*

Lichen pulmonarius saxatilis, cinereus, minor, vmbilicis nigricantibus. VAILL. *Bot. T. 21. f. 12.* (omnino huius loci est.)

DIAGN.

DIAGN. Frondes subimbricatae, lobatae, superne cinereae, inferne glabrae, atrae (aut albae), margine vtplurimum farinosae.

A LICHENE *perlato* LINN. forte differt frondibus inferne glabris, sed vix alia nota.

LOC. NAT. Crescit ad arbores omnis generis, et per omnem syluam Hercynicam ad ABIETES frequens occurrit.

Etiam ad saxa inuenitur, obseruante DILLENIO et VAILLANTIO. Mihi tamen numquam ad saxa visus est.

OBS. HALLERVS scutellas paruas, exiguo foramine descripsit. Exinde credo *virum perillustrem*, verrucas istas, quae in superficie superiori saepius inueniuntur, perforatas pro scutellis habuisse. Sed et veris gaudet scutellis, rarissime quidem obuiis, sat insignibus, concauis, extus cineris intus fuscis aut brunneis, interdum substipitatis. Has et *Cel.* NECKERVM latuisse patet ex eius descriptione. Sed bene istas depinxit MICHELIVS.

Lichen pulmonarius crispus, inferne nigerrimus et glaber, superne cinereus, receptaculis florum subobscuris. MICH. *Gen. p. 91. T. 50. f. 1.* a DILLENIO refertur ad LICHENOIDES glaucum et perlatum, subtus nigrum cirrhosumque *Hist. p. 147. T. 20. f. 39*, quod est LICHEN *(perlatus)* coriaceus repens lobatus, glaber, subtus ater; scutellis pedunculatis LINN. *Syst. veg. p. 808.* Sed quum MICHELIVS inferiorem paginam glabram dixerit, ad *glaucum* potius pertinet.

LICHEN pulmonarius latifolius, inferne albidus, superne cinereus, receptaculis florum concoloribus.

loribus. MICH. *Gen. p. 91. T. 50. f. 2.* mera *varietas* eſt, quam non raram in ſyluis Heroynicis reperi, inprimis in aſcenſu Bructeri verſus Schierke. Synonymum SCOPOLIANVM, ab *ill.* SCOPOLIO ipſo in altera *Florae Carniolicae* editione ad LICHENEM *glaucum* refertur, a *Celeb.* NECKERO ad *perlatum*. Sic et VAILLANTII ſynonymum.

Ex confuſione, quam apud auctores inter ſynonyma vtriusque plantae reperio, et omnibus rite computatis valde ſuſpicor, vtramque non vere differre. DILLENIVS *perlatum* a *glauco* inprimis diſtingui vult, marginibus foliorum interiorum ſurrectis, tumidis, et reuolutis, fimbria farinoſa interſecta, ob crebras conuolutiones criſpa et quaſi perlas referente, cinctis. Sed hae notae non raro etiam *glauco* conueniunt. DILLENIVS ſuum praeterea inferne cirrhoſum facit, ſed vereor, vt nec haec nota ſufficiat.

Quare autem LICHENEM *perlatum* ad coriaceos retulit *perill.* LINNAEVS? ab his ſaltem diuerſiſſimum.

Glauci Syn. et deſcript. WEIS *Crypt. p. 75.*

* 275. LICHEN *faſſax.*

Lichen alpinus, membranaceus, elegans, in amplas lacinias diuiſus, inferne albus, ſuperne e glauco ſubvireſcens; receptaculis florum amplioribus, interna parte fuſcis. MICH. *Gen. p. 75. O. II. T. 37.* (optime.)

DIAGN. Foliaceus, laciniatus, tenuis, ſuperne glaucus, inferne candidus, admixtis maculis nigris. Scutellae terminales.

A LI-

A LICHENE *glauco*, cum quo facile confundi posset, differt laciniis diffusis, nec depressis, inferne albis, numquam atris aut fuscis, scutellis terminalibus, nec in superficie frondium vndiquaquam sparsis.

LOC. NAT. Arboribus adnascitur. Mea specimina legi ad ABIETES prope Braunlage. Ad FAGOS etiam reperit MICHELIVS.

DESCR. Foliaceus, vndiquaquam expansus, in amplas lacinias diuisus, tenues, membranaceas. Margo laciniarum interdum tenuissime diuisus est, vnde ciliatus apparet. Superior superficies ex albo et viridi mixta est, glaucaque euadit, inferior candidissima, nitens versus basin atra, etiam hinc inde maculis paruis, atris adsperſa. Tubercula atra, copiosa, conuexa, a Milii ad Lentis magnitudinem accrescentia, vtplurimum obducunt totam superiorem superficiem, inprimis versus radicem. Caueas ne, si absque scutellis reperiatur hic LICHEN, haec pro veris florigeris habeas tuberculis. Veris enim gaudet scutellis, quae in laciniis attenuatis terminales sunt, irregulares, superne si madidae sunt virides, siu siccae, fuscae, in iunioribus planae et fere concauae, foliorum paruis laciniis, quasi immersae; in adultioribus conuexae, lineis depressae, diuisae, verbo maxime irregulares. Ita etiam in iunioribus inferne conuexae sunt, mox concauae margine crenulatae, tandem maxime lacunosae, margine laciniato crenulatae, semper tamen virideſcentes.

OBS. Fateor proximum esse *glauco*, a quo tamen ex adlatis notis, inprimis scutellarum situ, satis differre puto.

Omitto LICHENES *pulmonarium, farinaceum, calicarem, fraxineum, prunastri, caperatum*, quos optime in saepius laudato libro descripsit *Cel.* WEIS.

********* IMBRICATI.

Vid. WEIS *Crypt. p. 53.*

* 276. LICHEN *pulverulentus.*

Lichen imbricatus; foliolis lobatis, crenatis, obtusis, viridibus, polline conspersis; scutellis nigris, margine crenatis. SCHREB. *Spic. p. 128. n. 123.*

Lichen *(orbicularis)* imbricatus; foliolis oblongis, obtuse multifidis; scutellis subfuscis. NECK. *Del. p. 509.*

Lichen *(orbicularis)* fronde germinante deformi; scutellifera subrotunda; primordialibus farinosis. NECK. *Meth. p. 88. Sp. 57.*

Lichen fronde cinerea, profunde laciniata rotunde lobata; scutellis nigris HALL. *Hist. T. III. p. 91. n. 2016.*

Lichenoides glaucum, orbiculare; segmentis latiusculis, scutellis nigris. DILL. *Hist. p. 176. T. 24. f. 71.*

β. Lichenoides viride, segmentis angustis distortis; scutellis pallidis. DILL. *Hist. p. 178. Tab. 24. fig. 72.*

DIAGN. Ex descriptione SCHREBERI *petenda.*

A *Centrifugo* differt loco nateli, foliorum colore, scutellarum margine, qui et ab *oliuaceo* distinctum reddit.

LOC.

LOC. NAT. Frequens eſt ad SALICES, Clausthaliae ad TILIAS legi.

DESCR. Imbricatus, laciniatus, lobatus; lobis paruis, obtuſis, crenatis. Color ſuperne obſcure viridis, per ſiccitatem ex albido vireſcens tandem cinereus. Margo, (qui imprimis per lentem diſtinctus conſpicitur) ſemper paululum eleuatus et albidus eſt. Inferior ſuperficies in iunioribus et non florentibus albo, et, ſaltim ad extremos labulos nuda et glabra, in adultioribus atra, cum villis breuibus atris (rarius albis) arborum corticibus tenaciter adhaeret. Scutellae ſuperne ex rufo nigricantes, planiuſculae, margine eleuato, vireſcente, crenulato, inſigni, ex quo ſaepius foliola propullulant, inferne Licheni concolores. In non florentibus ex margine, etiam ex ſuperficie foliorum glomeruli copioſi, puluerulenti, ex viridi cineraſcentes, effloreſcunt. Idem interdum in ſcutelliferis obſeruatur ſpeciminibus.

OBS. LICHEN pulmonarius, craſſus, ſuperne e cinero plumbeus, toroſus, ac filamentoſus, inferne albus et villoſus, receptaculis florum ex rubro ferrugineis. MICH. *Gen. p. 91. O. XXIII. T. 43. f. 1.* ab *ill.* SCHREBERO ad LICHENEM *puluerulentum* refertur, ſed eum meis ſpeciminibus nec nomen bene conuenit nec icon, cuius folia iuſto multo latiora ſunt, et ſcutellae omnino alienae.

Melius inprimis quoad deſcriptionem conuenit LICHEN pulmonarius, minor, ſuperne cinereus, inferne nigricans; receptaculis florum atro rubris, externa parte verrucoſis. MICH. *ib. f. 3.*, qui etiam ab SCHREBERO huc refertur. Attamen

icon magis cum *oliuaceo* ac cum *pulueruleuto* conuenit.

LICHEN pulmonarius, saxatilis, farinaceus, albus; foliis pulposis, ad extremitatem magis complanatis; receptaculis florum cinereis MICH. *Gen. p. 94. O. XXX. Sp. 9. T. 51. f. 3.* et LICHEN pulmonarius, saxatilis, farinaceus, ex albo subcinereus; foliis pulposis, pulueruleutis; receptaculis florum griseo rufis MICH. *ib. Sp. 7. Tab. 51. f. 5.* quoad icones omnino cum nostro optime conueniunt, sed repugnat locus natalis. Saxatilem enim nostram plantam numquam vidi, et arboream pronunciant SCHREBERVS, NECKERVS, DILLENIVSque.

An vere differt LICHEN *(granosus)* imbricatus; foliolis oblongis, lobatis, incisis, cinereis, laeuibus; scutellis nigris, margine crenulato SCHREB. *Spicil. p. 128. n. 1122.?* Ego varietatem *pulueruleuti* censeo. Ad hunc *ill.* SCHREBERVS vtramque MICHELIANAM plantam *Tab. 51. f. 3. et 5.* refert.

LICHENOIDES viride etc. DILL. *Sp. 72.* certe varietas est. Quocum DILLENIVS iungit LICHENEM pulmonarium, alpinum; foliis angustissimis, eleganter diuisis; superne e cinereo viresceutibus, inferne nigricantibus, et cirrosis, receptaculis florum fuscis, coronatis, seu foliosis. MICH. *Gen. p. 91. O. XXIII. Sp. 5. T. 43. f. 4.* Et omnino descriptio, praesertim scutellarum optime conuenit, sed figura non bona est.

LICHEN *(pulueruleutus,)* foliaceus, repens, lanuginosus; papillis cinereis ramosis crebris, subtus ater SCOP. *Carn. 1. p. 105. Sp. 39. Carn. 2. T. II. p. 389. n. 1398.* vtique a nostro non repugnat.

gnat. Sed addit *ill.* SCOPOLI esse LICHENEM DILLENIO, aliisque ignotum, nec viro oculatissimo, DILLENII et HALLERI planta effugere potuisset.

* 277. LICHEN *pullus.*

Lichen imbricatus; foliolis lobatis, oliuaceis; scutellis integerrimis. SCHREB. *Spicil. p. 131. n. 1127.*

Lichen *(pullus)* imbricatus; foliolis nitidis, lobatis, scutellis margine laeuibus. NECK. *Del. p. 510.*

Lichen *(pullus)* fronde laeui scutellifera; germinante distorta; primordialibus granulosis. NECK. *Meth. p. 94. Sp. 63.*

Lichen fronde semipinnata, rotunde lobata, oliuacea; scutellis laeuibus. HALL. *Hist. T. III. p. 91. n. 2013.*

Lichen pulmonarius saxatilis, subtus nigricans, desuper oliuae candidae colore, receptaculis florum concoloribus. MICH. *Gen. p. 89. O. XIX. T. 51.*

Lichenoides oliuaceum scutellis laeuibus. DILL. *Hist. p. 182. T. 24. f. 77. A. B. C.* (optima.)

DIAGN. SCHREBERVS *dedit.*

A *pulmerulento* differt scutellis integerrimis, iisdem ab *oliuaceo* et marginibus foliorum non elevatis.

LOC. NAT. Saxatilis et arboreus. Ad FAGVS, QVERCVS et SALICES occurrit v. c. prope molam chartaceam Wehndensem, prope Harste.

OBS. Praeeunte HALLERO hunc ab *oliuaceo* separaui, quamquam isti proximum esse fateri debeo. „Diuersum esse superficie in recenti „lutescente, frondulis latioribus tenuioribusque „obtusissimis; scutellis laeuibus, immo tota planta, „quae siccata in fuscum colorem degenerat" NECKERVS perhibet *(Meth. p. 95.)*

* 278. LICHEN *diffusus.*

DIAGN. Imbricatus; fronde lineari, multifida, in centro puluerulenta, versus margines scutellifera. Color constanter ex glauco albescens.

A *saxatili* et *centrifugo* differt: fronde angustiore, lineari; a *stellari* fronde in centro pulverulenta et colore. Sed dubie propono plantam, cuius pauca mihi sunt specimina. Et forte alius varietas est.

LOC. NAT. Ad truncos putridos lectum prope Borckenkrug misit *Cel.* SALZWEDEL.

DESCR. Frondes in rosulas orbiculares expansae, tenaciter ligno adhaerent, imbricatae, lineares, multifidae, extremitatibus obtusiusculis etiam arcte adhaerentibus. Color superne etiam in madida planta ex glauco albescens, inferne ater, versus extremitates anthracinus. In centro superficiei superioris puluerulentus est, nullis scutellis obsitus, puluerulentaque materia ita obducitur, vt nullum laciniarum vestigium appareat. Vbi pulverulenta materia definit, scutellae emergunt, vix lentis magnitudinem excedentes, planae; supra superficiem frondium parum eleuatae, vtplurimum orbiculares, superne in iunioribus ex glauco fuscae,

in

in adultioribus fuscae, inferne frondibus concolores, margine cinereae, integerrimae. Villus tenuis in inferiori pagina.

* 279. LICHEN *fahlunenſis.*

Lichen imbricatus; foliolis linearibus, dichotomis, planiuſculis, acutis, nigris; ſcutellis atris. LINN. *Spec. Plant. T. I. p. 1610. Sp. 22. Syſt. veg. p. 806.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 71. Sp. 22.*

Lichen *(fahlunenſis)* fronde, vtrinque anthracina, lineari, multifida; ſcutellis concoloribus. NECK. *Meth. p. 101. Sp. 70.*

Lichen fronde vtrinque nigerrima, laciniata; ſcutellis concoloribus. HALL. *Hiſt. T. III. p. 92. n. 2020.*

Lichenoides tinctorium, atrum; foliis minimis criſpis. DILL. *Hiſt. p. 188. T. 24. f. 81.*

DIAGN. Siccus vbique ex caſtaneo nigricans. Frondes lineares, dichotomo-multifidae. Scutellae terminales, lateribus inſertae, inferne lacunoſae.

LOC. NAT. Rupibus altioribus adhaeret. Satis copioſus eſt in omnibus ſaxis Bructeri, praeſertim auf der Heinrichshöhe prope diuerſorium, bey dem Teufelsaltar etc. Lectum in M. Steinberg miſit *Cl. Salzwedel.*

DESCR. Frondes ex breuiſſimis dichotomiis multifidae, arcte inplexae et imbricatae, vtrinque glabrae, latis caeſpitibus obducunt ſaxa. In iuniori et madida planta color ſuperne ex luteo viridis eſt, etiam laete viridis, inferne glaucus. Si verus exſiccatus eſt LICHEN caſtaneum et denique atrum

atrum acquirit colorem, qui vero in madefacta planta, nisi vetustissima sit, statim in priorem rursus mutatur. Attamen etiam in iunioribus extremitates vtrinque ex castaneo atrae sunt. Laciniae lineares, extremitatibus obtusiusculae, marginibus eleuatae, integerrimae, lacinulis tamen progerminantibus cinctae, interdum ciliatae apparent. Semper latiores sunt laciniae scutellis ornatae, quae ad terminales extremitates illarum copiosae proueniunt. Hae in omnibus peltarum morem aemulant, interiori margine affiguntur, inferne glaucae sunt et lacunosae, in madida planta pariter virides, in sicciori castaneae, tandem atrae. Plerumque tamen scutellae minus nigrescunt ac frondes. Iuniores, milii magnitudinem vix superant, orbiculares sunt, nec nisi margine et concauitate a laciniis distinguuntur, adultiores vero maximae euadunt, et latitudine saepius semunciam aequant. Tunc irregulares fiunt, planae, conuexae, indeterminatae figurae, incisae saepius.

OBS. Figura DILLENII ab imperfecto et iuniori specimine deprompta est, nec LICHENIS habitum bene exprimit. Descriptio pariter imperfecta.

LICHENES *centrifugus*, *saxatilis*, *physodes*, *oliuaceus*, *parietinus* et *stellaris* etiam sunt inter plantas in syluis Hercynicis lectas. Sed de his conferatur WEISSIVS.

********** GELATINOSI.

Conf. WEIS *Crypt. p. 51.*

* 280. LICHEN *Lactuca.*

Lichen gelatinosis, membranaceus, exasperatus, conuolutus, atrouiridis; scutellis rubris.

rubris. HALL. *Hiſt. T. III. p. 94. n. 2037.*

Lichen *(criſtatus)* foliaceus, gelatinoſus, membranaceus, lobatus; ſcutellis, concavis cirſtatis, rubris. SCOP. *Carn. 1. p. 113. Sp. 57. Carn. 2. T. II. p. 396. n. 1410.*

Lichen *(nigreſcens)* foliaceus, rugoſus lobatus, atrouirens; ſcutellis confertis; rufis. HVDS. *Flor. angl. p. 450. Sp. 36.*

Lichen pulmonarius, membranaceus, gelatinoſus, pullus, in ſegmenta latiora diviſus; receptaculis florum exiguis, obſcure rubris, numeroſiſſimis. MICH. *Gen. p. 87. O. XII. Sp. 1.* HALL. *Enum. Helu. T. I. p. 80. Sp. 94.*

Lichen ſaxatilis nigricans, Lactucae folio. BVXB. *Cent. 1. p. 41. T. 61. f. 3.*

Lichenoides gelatinoſum, membranaceum, tenue, nigricans. DILL. *Hiſt. p. 138. T. 19. f. 20.*

DIAGN. Membranaceo-gelatinoſus, late lobatus, tenuis, diaphanus, lacunoſus, ex viridi nigreſcens, per aetatem nigricans.

LICHEN *criſpus* ab hoc differt lobis imbricatis, craſſioribus, exterioribus crenatis, ſcutellis atro viridibus.

LOC. NAT. Habitat ad arbores et rupes, inprimis tamen ad rupes. Copioſus reperitur in rupibus ad ſiniſtra viae, quae a pago Schartzfeld, verſus Neuhof tendit. Ad SALICES legi prope Waacke.

DESCR.

DESCR. Rosulae orbiculares, centro affixae. Substantia membranaceo gelatinosa, magis tamen membranacea. Ad extremitates expanditur in lobulos rotundatos, integerrimos, subtus plicato-lacunosos, vtrinque glabros et nitidos, in recenti statu vtrinque exatro virides, in sicciori nigricantes. Centrum in meis superne granuloso-puluerulentum est, et margines lobulorum ibidem crenulati.

Lobi huius LICHENIS, dempto colore, lobulos foliorum *Lactucae Satiuae* optime repraesentant.

Scutellas ego numquam vidi, illas describit *perill.* HALLERVS: „In imo laminarum concauarum alueo frequentes, planas, albas, niueas, ora crenata subuiridi, deinde obscure rubra." *Hist. l. c.*

OBS. Huic *perill.* HALLERVS associat, et pro extremo plantae, crispoque caespite habet LICHENOIDES gelatinosum, atrouirens, crispum et rugosum DILL. (LICHENEM *crispum* LINN.) quod tamen vt mihi videtur, vere differt. (Vid. *Diagnosis.*)

Sed LICHENOIDES gelatinosum, tenue, reticulatum DILL. *Hist. p. 138. T. 19. f. 21.* vix diuersum videtur, etsi ex insula Prouidentia habuerit DILLENIVS.

* 281. LICHEN *crispus.*

Lichen imbricatus, foliis lobatis, truncatis, crenatis, atrouiridibus; scutellis concoloribus. HVDS. *Flor. angl. p. 447. Sp. 26.* LINN. *Syst. veg. p. 800.* SCHREB. *Spicil. p. 127. n. 1121.*

Lichen

Lichen (*murorum*) fronde imbricata frondulis extimis latioribus, obtuſe crenatis; ſcutellis concoloribus. NECK. *Meth. p. 85. Sp. 53.*

Lichen, qui Lichenoides terreſtre, membranaceum, gelatinoſum et fuſco virescens, criſpum et rugoſum. DILL. *Cat. Gieſſ. p. 209.* MICH. *Gen. p. 85 Sp. 10.*

Lichenoides gelatinoſum, atro virens, criſpum et rugoſum. DILL. *Hiſt. p.* 139 *T. 19. f. 23.*

β. LICHEN *criſpus, granoſus.*

Lichen (*granoſus*) foliaceus gelatinoſus, lobatus; lobis imbricatis, granulatis. SCOP. *Carn. 1. p.* 113. *Sp. 58 Carn. 2. T. II. p. 397. n.* 1411.

Lichenoides gelatinoſum, atro virens, auriculatum et granoſum. DILL. *Hiſt. p. 140. T. 19. f. 24.*

DIAGN. Ceſpites, loborum ſuberectorum, obtuſorum, vndulato crenulatorum, gelatinoſorum, ex atro viridium. Scutellae concolores.

LOC. NAT. Ad ſaxa et muros legi prope arcem Schartzfeld, et in aſcenſu ad rupes die alte Kirche dictas.

DESCR. Lobi integri, aut parum laciniati, traſſiuſculi, gelatinoſi, ſuberecti et imbricati, ſemunciales. Margo vndulato crenulatus, ſaepius granuloſus. Superficies vtraque glabra, paruis granulis interdum conſperſo. Subſtantia pellucida. Color in madida planta lucide virescens, ad baſin ex glauco virescens, in ſicca nigricans. Scutellae, quae

quae praesertim versus margines oriuntur, concolores maiusculae, concauae, margine eleuato integerrimo, in adultioribus granuloso.

β. Lobi, substantia, color *crispi*, sed tota superficies granulis gelatinosis conspersa, et scutellae nullae.

OBS. LICHENEM *granosum* SCOP. ego pro iuniori LICHENIS *crispi* statu habeo, nullam enim, praeter scutellarum absentiam video notam, qua ab eo vere differat.

Neque diuersam speciem censeo LICHENOIDES tenue, crispum, foliis paruis, depressis. DILL. *Hist. p. 145. T. 19. f. 32.* Hanc foliis tenuioribus, siccis madefactis et denuo arescentibus, glaucis, scutellis longe minoribus differre, DILLENIVS quidem perhibet, sed eae notae certe non sufficiunt.

* 282. LICHEN *fasciculatus.*

Lichen foliaceus, gelatinosus; tuberculis turbinatis fasciculatis, fronde maioribus. LINN. *Mant. I. p. 133. Syst. veg. p. 808. Sp. 93.*

Lichen (*glomeratus*) foliis rectis, congestis, bruneis, apice scutelliferis. NECK. *Del. p. 509.*

Lichen (*glomeratus*) fronde erecta; scutellis terminalibus, conglobatis NECK. *Meth. p. 86. Sp. 55.*

Lichen foliaceus gelatinosus, tuberculosus, ater; scutellis conuexis, rubris. SCOP. *Carn. I. p. 112. Sp. 50.* (quem vero in altera *Florae Carniolicae* editione nullum amplius facit mentionem.)

Liche-

Lichenoides gelatinoſum, palmatum, tuberculis conglomeratis. DILL. *Hiſt. p. 141. Tab. 19. fig. 27.*

DIAGN. Surculi gelatinoſi, erecti. Scutellae terminales, virideſcentes, concauae; adultiores rufeſcentes, turbinatae.

LOC. NAT. Ad ſaxa verſus Geismar, in muris ſuburbanis et alibi non rarus.

DESCR. In denſos ceſpites, ſurculi parui, craſſiuſculi, erecti, obſcure virideſcentes, verſus ſummitates diuiſi, apicibus obtuſi, ita congeruntur, vt vnum continuum puluinatum formare videantur. Scutellae terminales, iuniores concauae, virideſcentes, adultiores ex rubro fuſcae, planiores, marginatae, tandem conuexae et marginatae fiunt, ſurculisque multo maiores. Siccus totus nigreſcit.

Florentem reperi per totam fere aeſtatem.

OBS. Huc pertinere videntur:

LICHEN pulmonarius, gelatinoſus, craſſus, ex obſcuro nigricans; receptaculis florum concoloribus, per ſiccitatem vero fuſco-ferrugineis. MICH. *Gen. p. 876. O. XVI. Sp. 4.*

LICHEN pulmonarius, gelatinoſus, craſſus, minor; foliis latiuſculis, digitatis, e griſeo ſubobſcurus, per vetuſtatem fuſcus, et in vram ſe colligens, receptaculis florum concoloribus, poſtea fuſco rubris. MICH. *Sp. 5. et*

LICHEN pulmonarius, gelatinoſus, terreſtris, atro-virens; foliis craſſis, breuibus, congeſtis, et rudibus; receptaculis florum fuluo-fuſcis. MICH. *Sp. 6.*

LICHEN *Tremelloides* (LICHEN *crispus* SCOP.) qui recte ab HALLERO et WEISSIO ad LICHENES reducitur, in syluis Hercynicis rarior. Istum descripsit *Cl.* WEIS' *Crypt. p.* 52.

********** VMBILICATI, SQVALENTES QVASI FVLIGINE.

* 283. LICHEN *polyphyllus.*

Lichen foliaceus, polyphyllus, vtrinque laeuis, crenatus. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1618. Sp. 56.* CRANTZ *Inst. T. I. p. 76. Sp. 56.*

Lichen *(polyphyllus)* vmbilicatus, polyphyllus, vndique laeuis, atrouirens, crenatus. LINN. *Syst. veg. p. 809. Sp. 56.*

Lichen *(polyphyllus)* frondulis imbricatis, vtrinque laeuibus, margine crenatis. NECK. *Meth. p. 77. Sp. 42.*

Lichen lapideus, crispus, vtrinque coloris schistei. HALL. *Hist. T. III. p. 88. n. 2001.*

Lichen pulmonarius, saxatilis, sordide viridescens; foliis minimis. MICH. *Gen. p. 101. Sp. 3. T. 54. f. 2.*

Lichenoides tenue, pullum; foliis vtrinque glabris. DILL. *Hist. p. 225. T. 30. f. 129.*

DIAGN. Ex descriptione NECKERI *petenda.*

LOC. NAT. Abundat ad saxa Bructeri, in rupibus circa Goslar, M. Steinberg. Occurrit etiam ad muros nostros suburbanos.

DESCR.

DESCR. Lobi LICHENIS *vmbilicati* magis minusque imbricati, ad margines crenati, vtrinque glaberrimi et nudi, recentes ex oliuaceo, ſiccae ex glauco et caeruleo nigricantes, tandem atrae. Fructificationem numquam vidi.

* 284. LICHEN *eroſus.*

Lichenoides durum, pullum, peltis atris, verrucoſis. DILL. *Hiſt. p. 220. T. 30. f. 118.*

DIAGN. Vmbilicatus, diaphanus, inferne albeſcens, fibroſus.

Facile diſtinguitur inferiori ſuperficie alba aut glauca, fibris crebris obſita; a LICHENE *velleo* quod in hoc ſuperficies inferior nigricans, ſubſtantia concaua ſit, et magnitudine.

LOC. NAT. Rupeſtris. Lectus ad rupes inter Clausthal et Schluft, et prope Elbingerode.

DESCR. Folium vmbilicatum, orbiculare, ſubplanum, ſaepe ad vncialem latitudinem expanſum, plus minusue lobatum, interdum in margine tantum late crenatum. Subſtantia coriacea, diaphana. Superficies ſuperior obſcure vireſcens, aut oliuacea eſt, aut ſchiſti colorem habet, in ſiccis nigricans, in adultioribus ſemper ſulcis ramoſis exarata, ab inſectis quaſi eroſa. Tubercula conferta, turbinata, atra, in iunioribus plana, immo concaua, in adultioribus conuexa, et confluentia. Inferior ſuperficies, tam in humidis quam ſiccis, alba aut glauca, fibris crebris, quibus rupibus adhaeret, obſita, in iunioribus reticulatim diſpoſitis, in adultioribus verſus radicem lacunoſa, tota magis reticulata, ad margines tamen ſemper fibrota,

punctis atris adſperſa, quae tubercula ſunt ex ſuperficie ſuperiori tranſparentia.

* 285. LICHEN *deuſtus.*

Lichen vmbilicatus, vndique laeuis. LINN. *Syſt. veg. p. 809. Sp. 55.*

Lichen *(deuſtus)* foliaceus, vmbilicatus, vndique laeuis. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1618. Sp. 55.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 76. Sp. 55.*

Lichen *(deuſtus)* fronde ſiccitate fragili, laeui. NECK. *Meth. p. 74. Sp. 36.*

Lichen fronde rotunde lobata, inferne nigerrima, gleboſa. HALL. *Hiſt. T. III. p. 88. n. 1998.*

Lichen pulmonarius, ſaxatilis, e cinereo fuſcus minimus. VAILL. *Bot. T. 21. f. 14.*

Lichenoides coriaceum cinereum, peltis atris, compreſſis. DILL. *Hiſt. p. 219. T. 30. f. 117.*

β. LICHEN *deuſtus, exaſperatus.*

Lichen atrum, corii perſici inſtar exaſperatum. DILL. *Hiſt. p. 120. T. 30. f. 119.*

DIAGN. Subſimplex concauus, inferne laeuis, in humida planta glaucus.

β. Superne exaſperatus.

LOC. NAT. Saxatilis. Vtrumque in Bructero reperi illa plaga, quae verſus Oderbrück reſpicit.

DESCR. In meis ſpeciminibus folium orbiculare, ſimplex, concauum, ſubdiaphanum, obtuſe et breuiter lobatum, vnciale et vltra. Color in humidis

humidis ſuperne ſordide viridis aut ſchiſteus, inferne glaucus, ad margines nigredine adſperſus. In ſiccis ſuperne niger eſt, aſper, omnino corii perſici inſtar, quod inprimis de altera varietate valet, ſaepius enim ſuperiorem ſuperficiem glabram vidi; inferne ſordide ex glauco luteſcens, marginibus nigricantibus, polline glauco adſperſis; interdum etiam maculae eleuatae nigrae in inferiori ſuperficie inueniuntur. Tubercula copioſe per ſuperiorem ſuperficiem ſparſa, turbinata.

OBS. Vidi etiam ſed rarius in inferiori ſuperficie fibrillulas nonnullas. An igitur LICHEN *eroſus* forte huius tantum varietas eſt? Quod tamen non videtur, quum in *eroſo* inferior ſuperficies ſemper copioſis villis obſita ſit, colorque etiam in ſiccis glaucus.

Icon VAILLANTII LICHENIS *deuſti* cum meis ſpeciminibus accuratiſſime conuenit, et DILLENIANA multo melior videtur. DILLENIVS VAILLANTII iconem ob defectum ſcabritiei in inferiore pagina taxat, ſed iſta et in meis plerumque deficit.

* 286. LICHEN *puſtulatus.*

Lichen foliaceus, vmbilicatus, ſubtus lacunoſus. LINN. *Spec. Plant. T. II. p.* 1617. *Sp.* 53. CRANTZ *Inſt. T. I. p.* 75. *Sp.* 53.

Lichen (*puſtulatus*) vmbilicatus, ſubtus lacunoſus, furfure nigro adſperſus. LINN. *Syſt. veg. p.* 809. *Sp.* 53.

Lichen (*puſtulatus*) fronde lobata, fuſca, ſubtus lacunata; furfure marginali concolore. NECK. *Meth. p.* 75. *Sp.* 37.

Lichen fronde cinerea, inferne lacunata, arbusculis superne nigris. HALL. *Hist. T. III. p. 87. n. 1996.*

Lichen pulmonarius saxatilis, inferne reticulatus et lacunatus, superne cinereus ac verrucosus; receptaculis florum et seminibus nigricantibus, et veluti deustis MICH. *Gen. p. 89. T. 47.*

Lichen crustae modo saxis adnascens, verrucosus cinereus et veluti deustus. TOURN. *Par. p. 481.* VAILL. *Bot. p. 116. Sp. 23. T. 20. f. 2.* (Certe, ipse enim habeo Parisiis lectum.)

Lichenoides pustulatum cinereum et veluti ambustum. DILL. *Hist. p. 226. T. 30. f. 131.*

DIAGN. Vmbilicatus, subtus lacunosus, nudus.

LOC. NAT. Saxatilis, rarius arboreus. Copiosum reperi ad rupes circa Blanckenburg, inprimis prope arcem Regenstein.

RVBIS adnata specimina conseruo circa Fontem bellaquum a *b.* BÜTTNERO lecta.

DESCR. Radice peltata, forti et tenaci, in mediam plantam inserta, lapidibus affixus est. Ex hac frondes plerumque solitariae, interdum congestae enascuntur. Harum figura in minoribus rotundata, marginibus integerrimis aut crenatis, eleuatis, vt inde cauus reddatur LICHEN, in adultioribus semper magis magisque laciniata, et lobata. Inferior superficies glabra, nitida, tota lacunosa, lacunulis a magnitudine seminum ORCHIDEARVM vltra pisi magnitudinem accrescenti-

scentibus, minoribus rotundatis, maioribus oblongis. Hae in superiori superficie eleuantur et pustulas repraesentant, interdum etiam in medio deprimuntur, ita vt scutellarum figuram aemulent. Praeterea tota superficies, vna cum pustulis, etiam in iunioribus tecta est granulis paruis innumeris, quae tamen, inprimis in adultioribus, versus centrum distincta adparent, quod in his, pustulis vtplurimum haud obsitum est. In iunioribus caeterum superficies superior glabra est, mox margo villo furfuraceo atro obducitur, qui in adultioribus maximam partem superficiei occupat, et vel dense congestus est, vel in pustulas sparsus, ex quibus plerumque, quasi vt alia planta enascitur. Iste primordialis noui LICHENIS constituit, sensim sensimque enim accrescit, foliolum surgit, quod delapsum lapidi affigitur, vnde nouus Lichen.

Substantia coriacea est, satis tenax, praeter pustulas diaphana. Color in recenti et minori planta, superne totus saturate viridis, in adultioribus ex glauco aut luteo virescens, in centro glaucus; inferne sordide rufus, in iunioribus cum admixto albido, in adultioribus atro. Exsiccatus inferne ater aut saltem ex rufo ater euadit, superne saepius albissimus, quem colorem reuera tamen, granula ista tantum assumunt.

Magnitudo totius LICHENIS initio pisi non excedit, saepius vero ad palmae magnitudinem accrescit.

Vera tubercula, scutellas aut pelas in hoc LICHENE numquam vidi, nec alii viderunt.

OBS. Icon VAILLANTII villum furfuraceum istum haud exprimit, nec granula superficiei superioris, marginesque eiusdem in nimis accuratos

lobulos diuiſi ſunt. MICHELII icon villum huncce petiolatum, et in ſparſis arbuſculis repraeſentat, ita vero numquam reperitur, nec totam figuram bonam dixerim. DILLENIANA optima eſt.

* 287. LICHEN *velleus.*

Lichen foliaceus, vmbilicatus, ſubtus hirſutiſſimus. LINN. *Spec. Plant. T. II. p. 1617. Sp. 52. Syſt. veg. 809.* CRANTZ *Inſt. T. I. p. 75. Sp. 52.*

Lichen (*velleus*) fronde perampla, ſinuato crenata, inferne villoſiſſima. NECK. *Meth. p. 76. Sp. 38.*

Lichen fronde coriacea, inferne puſtulata, villoſa; ſcutellis atris. HALL. *Hiſt. T. III. p. 88. n. 1997.*

Lichenoides coriaceum, latiſſimo folio vmbilicato, et verrucoſo. DILL. *Hiſt. p. 545. T. 82. f. 5.*

DIAGN. Coriaceus, vmbilicatus, ſuperne glauceſcens, inferne nigricans, crebris villis obſitus.

LOC. NAT. Saxatilis. Ego in Bructero reperi. Ex. M. Steinberg prope Goslar miſit *Cl.* SALZWEDEL.

